

Johann Deutschmann Gerhard Meier


Pentecostalis Pneumatologia Paradisiaca, Hoc Est, Mysteria Pentecostalia, De Spiritu Sancto, Hospite Pentecostali, Divinitus In Paradiso Genes. Cap. I. II. & III. Revelata, Nobisque Tradita

Wittenbergae: Schrödterus, 1692

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788082787>

Druck Freier  Zugang






90

49. dg.

Fa 1092 (90.)

10



18. Nic. Guil. Schneiderus de prima ecclesie publicae divinae institutione.
Karp. 1745.
19. Aug. Pfeifferus de Henoch ad Gen. 11. 22. 23. 24. Witteb 1670 & 1683.
20. Jo. Henr. a Seelen examen hypothesis de diluvio aenigmaticis
Ross 1725.
21. Jo. Rud. Schneider de sensu verborum Gen. 11. 5. coll. 1. 2. 24.
Tubing. 1719.
22. Henr. Jac. Lefius de poenitentia 220 adserta ad Gen. 11. 6.
Griphiswald 1747.
23. Georg. Meisselij Pflanzens, erorien ainnig Pätzs von dem Pflanzens
zu daniel und der daniel erdichtung Pflanzens Werrinung der,
plagt erorden. Jamb. 1742.
24. Math. Kiplerus de antiquissima gigantum gente corumque
sedibus ad Gen. XIV. 6. Tubing 1701.
25. Jo. Val. Negmager de Abrahamo peregrinante cum femine
sua. Jen. 1714.
26. Georg. Friedr. Nickenst de tribus viris Abrahamo appa-
rentibus ad Gen. XVIII. 1. Ross 1707. Leipzig 1711.
27. Jo. Rud. Kieseling de divinis Abrahami hospitibus ad Gen.
XVIII. 1. 2. 3. Lips 1740.
28. Jo. Saubertus de statua falsis et Loti ex Sodoma
egressu. Helust 1660.
29. Christi. Friedr. Bauer de Domini ad Abrahamam juramento
ad Gen. XXII. 16. Luc. 1. 54. 55. 69-75 et Hebr. 11. 19.
Witteb 1746.
30. Jo. Henr. a Seelen de Abrahamo et Jacobo Patriarchis
viduis ad Gen. XXIII. 1-19. XXXVI. 19. 20. Lnd. 1711.
31. Aug. Pfeifferus de Theraphim fideolis Laban. ad Gen. XXXI.
Witteb 1663.
33. Theod. Christ. Lichtenhalms de gloria Angeli federis cum Jacobo
collocantis ad Gen. XXXII. 24. et Gen. XII. 4. Region. 1714.

ad Gen. xxv, 2. 3. 4. Lyps 1744.

35. Geor. Henr. Jötter de quibusdam num. Pharaos opera Josephi ad veram
eulogiam perductus fuerit. Lub. 1742.
36. Aug. Petelius de Josephi divinatorio ad Gen. xlv, 5. Ferg. 1728
37. Geor. Dau. Lippke de integritate Cap. xlv Genes. contra Schuckfordum
Hal. 1744
38. Christo. Henr. Zeibichius de sepultura in terra sancta a Josepho ac
Josepho patriarchis moribundi appetita ad Gen. xlviii, 29. 30. 31.
xliv, 29. 30. 31. 32. L. 5. 24. 25. Hebr. xl, 21. 22. Willeb. 1748.
39. Jo. Christi. Einigk de manu dextra honoratione ad Gen. xlviii, 14.
Lyps 1707
40. Gust. Friedr. Zachariae de ritibus scholasticis Judaeorum ad Gen.
xliv, 10. Hilor. 1745
41. Theod. Kofalus de Naphthalitide patria Apostolorum ad Gen. xlv
Al. Brem. 1724.
42. Jo. Friedr. Trifchii notae in Josephi Tricelli animadversiones
in Exodi librum et LXX. graecam interpretationem. Lyps 1746
43. Friedr. Wich. Krafft de pietate obsequium qua Deus domos
divites effluvisse aedificasse Israelitis ad Exod. 15. 20. 21. Gen.
1744
44. Christo. Aug. Heumannus de Pseudothaamatoris Pharaonis. 1744
rec. Jen. 1745
45. Bernh. von Sünden specus sanguinum ad Exod. 14. 15. 16.
Region. 1713
46. Jo. Silemann Scheck de abellis farris et probanis Israel.
1743
47. Christo. Henr. Zeibichius de mysterio carnis asae in nocte
paschalis prima concocanda ad Exod. xii, 8. 9. Willeb. 1748
48. Christi. Henr. Bromel de angelo exterminatore ad Exod.
xii, 24. et Ps. lxxviii, 49. Jen. 1685.
49. Christi. Salmans de transitu Israelitarum per mare rubrum
Ged. 1702

- XXIII, 20. 21. 22. Gryphiswald 1752.
51. Josias Henr. Epistius de candelabri Proficia admirabili Fructu
 ra ejusdemque profectu in sancto. fructus Exod. XXV, 31-32 et
 Num. VIII, 2-4. Jen 1700.
52. Georg Adolph. Hehneras de חֲכָמִים וְעֵצִים אֲשֶׁר בְּיַד מֹשֶׁה
 ad Exod. XXXVIII, 30. Lips 1745.
53. Casp. Neumarius de geminis Vrim et Phumine ad Exod. XXVIII, 30.
 et de uita Samaritae obsesse. ad 2 Reg. IV, 25. Lips 1709.
54. Jo. a Kasch de oratione sacerdotum ad Exod. XXVIII, 41. Lips.
 Batav. 1692
55. Jonas Wahlia de Schirin ad Levit. XXVII, 2 Chron. XI, 15. Jen.
 XIII, 21. XXIV, 14. Götterb. 1744.
56. Joach. Rud. Waghal de fundamentis matrimonii inter com.
 principes ad Levit. XXVIII, 11. Jostach. 1744.
57. Jo. Mich. Langius de nuptiis juxta jus naturalae, divinum, caelest.
 officium prohibitis. Actorf. 1709
- Andr. Boberg de manipulo primitiarum necesse ad Levit. XXVIII
 lo. 7. pl. 1720
58. Jo. Christ. Buckius de anno hebraeorum jubilaeo ad Levit. XXV.
 Wittob. 1700
59. Co. Bernh. Hahn de anni Jubilaeo hebraeorum ad Levit. XXV.
 Wittob. 1744.
60. Septus poenitentialis ducatus magoeburgensis inuolus ex
 Lev. XXVI, 29. 24 et 2 Cor. V. 20-21. propofiti. Magd. 1725.
61. Georg. Roebius de Corae, Sathais, Abirani et Ori desclatu ad
 inferos ad Num. XVI. Lips 1607.
62. Christ. Kortholus de virga Aarons florida ad Numeros.
 XVII. Hil 1674.
- Christ. Göt. Friedr. Wolffius de libro recti et bellorum. ad
 Num. XXI, 14. Jos. X, 10. 2 Sam I, 10. Lips 1722
63. Franc Wockemus de mercede divinatoria Wittob 1727
- Christo. Pontagius de liquis Sibiria ad Num. XXV, 1.

Jo. Rud. Kieslingius de Judaeis ad sacularum Zeleotipiam promo-
catis Lips 1746

Idem de Judaico explorari veritatis contra Jemotipium teste
ad Deuter. xxviii, 64 65. Lips 1748

Faint handwritten text at the top of the page, possibly a title or header.

51.

52.

53.

54.

55.

56.


57.

60.

61.

62.

63.



^{Z.}
IN NOMINE JESU!
PENTECOSTALIS PNEUMATOLOGIA
PARADISIACA,

HOC EST,
MYSTERIA PENTECOSTALIA,
DE
SPIRITU SANCTO,
HOSPITE PENTECOSTALI,
DIVINITUS IN PARADISO

GENES. CAP. I. II. & III.

REVELATA, NOBISQUE TRADITA,
IN ELECTORALI SAXONICA ACADEMIA,
PRÆSIDE

D. JOHANNE *Deutschmann* /
PROF. PUBL. ET SENIORE,
PRO CONSEQUENDIS SUMMIS
IN THEOLOGIA HONORIBUS,
PLACIDO COMMILITONUM COLLOQUIO
PUBLICABITUR

A
M. GERHARDO MEJERO,
Fac. Phil. Adj. ac in Gymn. patrio Log. ac Met.
Prof. Publico,

D. XXVI. APRILIS, ANNO M DC XCII.
IN AUDITORIO MAJORI,
Horis Ante- & Pomeridianis.

WITTENBERGÆ, Prælò CHRISTIANI SCHRÖDERTI, Acad. Typ.

SUMMAM BENEVOLENTIAM
ET MERITA NON - VULGARIA
VIROURUM
DIVINO ELOQVIO , RARIS INGENII OPIBUS,
SUBACTI JUDICII LAUDE, SOLIDA ERU-
DITIOE AC INCREDIBILI MORUM
COMITATE
EXCELLENTISSIMORUM
ET MAXIME REVERENDORUM,
DN. M. HINRICI ELMEN-
HORSTII,
NEC MINUS
DN. M. PETRI SCHULTETI,
ECCLESIASTARUM AD D. CATHAR. HAM-
BURG VIGILANTISSIMORUM, ATQVE PER
ALIQVOT LUSTRA MERITISSIMORUM,
MÆCENATUM ROMINIANORUMQVE HONO-
RE PARENTIBUS DEBITO ÆTATEM
DEVENERANDORUM,
SUBMISSA
DISPUTATIONIS INAUGURALIS
DEDICATIONE
GRATUS PROSEQVITUR
AC VENERATUR LUBENS,
TANTIS NOMINIBUS
DEVINCTISSIMUS
DEDITISSIMUSQVE
GERHARDUS MEJER.

MAXIME REVERENDE atqve PRÆ-
CELLENTISSIME

DN. LICENTIATE,

Fautor & Amice conjunctis-
sime amantissimeq;



Magna & generosa res est hu-
manus animus: nullos sibi poni,
nisi communes & cum Deo ter-
minos patitur, ita cum SENECA
exordior meo. Non glebæ suæ est
adscriptitius, quippe quæ circa se ac ante pedes
sunt minutius & scrupulosius scrutatur, ad inferos
solicite descendit, telluris vestigat viscera, & ad
antipodas usq; evagatur. Non terrent illum flu-
ctus decumani, non salis vastitas ac profunditas,
non immanitas monstrorum marinorum ac tor-
vitas, non vis violenta leonum, non occulta tigris-
dum calliditas, non granditas elephantorum, aut
rhinocerotum rabies, non ferales crocodili insi-
diæ,

diæ, nec tandem omni fera truculentior hominum inhumanorum barbaries. Immo originis memor suæ ad Deos usq; evolat,

Sunt etenim pennæ volucres ei,
Quæ cella conscendant poli :
Qvas sibi cum velox mens induit,
Terras perosa despicit,
Aëris immensi superat globum,
Nubesq; post tergum videt.
Qviq; agili motu calet ætheris
Transcendit ignis verticem,
Donec in astriferas surgat domos,
Phœboq; conjungat vias.

Ad TE me converto ὡς βέλτε MEJERE, TU mihi dabis exemplum clarum & illustre. TU PIETATI, TU VIRTUTI a teneris unguiculis Te totum consecrasti: TU variarum labyrinthos lingvarum emensus es cate: Tu Philosophiam, omnium virtutum magistram non a limine salutasti, quin secretiora ejus perreptasti adyta.

TE minime movit ἀκεσία & sinisteritas ARISTONIS spurcifica saliva evomentis: μή πρὸς ἡμᾶς τὰ διαλεκτικά, μή γὰρ συμβάλλουσιν πρὸς ἐπανόρθωσιν βίης, *dialectica nihil nos adtinere, cum emendationi vitæ nihil conferant*, interprete C. Gesnero.
Nec TE terruit ARCESILAI cum aleatoribus compar-

paratio, aut **CARNEADIS** cum polypo, aut cum
luna **CLITOMACHI**. Quin rectius cum Stoicis
credebas Dialecticum solum esse sapientem, Di-
sputationemq;, ex **JAMBlicHI** Epist. ad Dexip-
pum & alia ad Sopatrum mente, esse Deorum mu-
nus coelitus demissum. **TE** jam olim Eleaticis
atq; Academicis studiis innutritum, tanquam lau-
dabilem ἀγωνοθέτην admiratus est Apollo Leu-
coreus; nunc vero eundem campum, eandem
arenam **TIBI** concedidit **PATRIA SPLENDIDISSIMA**.
Verum Virtus **Tua** πολυπόκιλος, coerceri nescia i-
gnes imitatur motus perennitate semper altiora
petituros. Nunc ad Theosophies **TE** recipis ca-
stra, nec mereris inter gregarios, sed merito **Tuo**
transcriberis Veteranis ac deinceps **Triariis**, **Te**-
stis est hæc **Tua** de **SPIRITU S.** dissert: Inaug:
ardua quidem, sed pulcra; quippe δύσκολα καλὰ!
Testem peregrinum saltim adducam **MERCU-**
RIUM ad **Tatium**: θεὸν μὲν νοῆσαι (inquit) καλεπὸν;
Φερόσαι δὲ, ἀδύναστον &c. Nec ideo est quod qvera-
ris **Te** a **Philosophia** abreptum, quin magis ad-
motum cum **SYNESIO** ad **Presbyteros** scribente:
Εἰ γὰρ μὴ ἔρημος διπολειφθεῖν θεῶν, τό τε γινώσκειν τὴν ἱερ-
σύνην ἢ διποβασιὶν εἶσαν φιλοσοφίας, ἀλλ' ἐπαιτάβασιν. h. e.
interprete **Thoma Naorgeorgo**: *Nam si non a*
DEO deserar, tunc cognoscam sacerdotium non esse
discessum

discessum a Philosophia, sed accessum. Adplan-
do ἐκ Φρενῶν μυελῶ conatui præclaro; actio enim
honestæ est laudare dignos iudice SENECA, SYNESIO
νερο καλὸν γὰρ καὶ κατορθῶσι συνεύξασθαι. Præterea uti
apud Tragicum est: καλὸν θῆσθαι δ' ἴσιν ἐν πρῶτων
Φίλος. Macte divina ac παρρησιασικῆ hac Virtute,
non una TE deinceps manebit palma. Vale, ac
feliciter ad Tuos reverse officiosissime salutabis
Theologum ἀκριβοδίκαιον, Vestrum MAYERUM,
sed & jam olim meum. Scribo e museo meo
X. κλ., Maj. ∞ πχ, Ιο cc.

D. GEORGIUS FRAN-
CUS, h. t. Rector Universit:

Aliqvot S. R. I. Elector. ac Principp. Con-
filiar: & Archiat: C. P. Cæs. Acad.
Leopold. Adjunctus & Italia Re-
cuperatorum Collega.



IN NOMINE JESU!

M Agnum *Paradisus* *Mysterium* est. *Hortus*, ab ipso Deo plantatus, & divinis *Miraculis*, *Mysteriis*, *Beneficiis*, atque *Privilegiis*, undiquaque condecoratus. Legimus hic *Historiam* *Historiarum*, qua nulla prior, antiquior, fecundior, & utilior esse potest. Offendimus in eo *Doctrinam* *Doctrinarum*, cum Optimi, Maximi, Summiqve *Doctores* sit *Auditorium*. Admiramur hic illustre *Compendium* *Compendiorum*: nam quæ late per totam *rerum Universitatem* effusa, quæ copiose per omnes *disciplinas*, *Scientias*, & *Artes*, diffusa, quæque per totum *Scripturæ* *Veteris*, & *Novi Testamenti* circulum, per ipsum Dei Spiritum, ex *Arcanis* *Divine Mentis* fructuose profusa, breviter, & nervose, perspicuè tamen, & plene, paucissimis *Historiæ* *Paradisicæ* verbis comprehensa cernimus. Vere valet hic illud: *Multa paucis: Omnia paucis*. *Paucitas* verborum legitur, *multitudo*, vel universalitas, rerum in verborum paucitate deprehenditur. *Tria* sunt *Historiæ* *Paradisicæ* *Capita*, quæ primum in *Genesi* locum occupant, sed ea sunt *inexhausta*, rerum omnium *promptuaria*, ut vere valeat & hoc de *Tribus* illis *Capitibus* *Proverbium*: *Omne Trinum Perfectum*. Ipse rerum omnium *Creator*, Deus *Gloriosus*, *Sacrosancta Trinitate* gaudet, dum *Ens* *Entium*, & *Essentia* *Essentiarum*, in *Personarum* *Trinitate* subsistendi rationes obtinet. *Totus rerum creaturarum circuitus* in *Universitate* *Trinitatem* amat, dum in *Mundum* *Supremum*, *Medium*, & *Infimum*, distributionem ordinatam desiderat, & exoptat, atque

atque creaturas alias in *Supremo*, alias in *medio*, alias in *imo*, divinitus ordinatas ostentat. Hæc, & alia multiplex *Trinitas* est *Macrocosmi*, sicut & unusquisque *Creaturarum Ordo*, qualibet earum *species*, & *Natura*, vel unumquodlibet *Ens*, non in *specie* tantum, sed in *individuo* pariter *Trinitatem*, quoad propriam suam conditionem, amplexatur. Nam *Ens* omne, sicut vulgo notum est, in *Natura* sua, tanquam *Proprietatum*, & *Operationum* principio, sicut & in *proprietatibus*, tanquam *ornamentis nature*, & *operationum adjumentis*, tandem & in *operationibus*, ceu communibus *natura*, *proprietatibus*, consequentibus, semper existit. *Natura*, *Proprietas*, & *Operatio*, dant omnibus rebus tum *Esse*, tum *Inesse*, tum *Prodesse*, dum quoad Naturam *sunt*, quoad proprietates *insunt*, quoad Operationes *profunt*. Longe plenior, & excellentior est *Trinitas Microcosmi*, qui *Dei* quidam *plenipotentiarius*, & omnium rerum *mundanarum Dominus* est. Habet *Homo Trinitatem* cum aliis rebus *communem*, habet etiam *peculiarem*, & ab aliis *distinctam Trinitatem*. Si communem respicimus, habet suam *homo naturam* humanam, habet & convenientes *proprietates*, & præclaras *operationes humanas*: Habet $\Phi\acute{\upsilon}\sigma\iota\nu$ *partium*, $\kappa\acute{\alpha}\tau\alpha$ *proprietatum*, & $\chi\epsilon\grave{\iota}\nu\sigma\iota\nu$ *operationum*, adeoque proprium *Esse*, proprium *Inesse*, proprium *Prodesse*. Sed quis omnes *Triadas* *Hominis* peculiare facile colligere posset? Tribuitur homini, secundum *Historiam Creationis*, quoad *Dona Dei*, tum *Anima Rationalis*, tum *Organicum*, & *Artificiosum Corpus*, tum *illustrissimum Imaginis divina privilegium*, & *ornamentum*. Quoad *personas* creatur *Maritus*, Gen. II, 7. ædificatur *Uxor*, v. 21. generatur *proles*, tanquam *fructus*, c. I. 28. Datur homini *Status Creationis*, quoad *fieri*, cap. I. additur *Status Conservationis*, quoad *Esse*, cap. II. pro dolor! consequitur *Status Corruptionis*, quoad *operari*, c. III. Sed ex parte *Dei* conceditur ipsi *Status Productionis*, & sustentationis, quoad *fieri*, cap. I. 27. 28. accedit *Status Gubernationis*, & ordinationis, cap. II. 15. seqq. ex singulari beneficio *Status restorationis* cap. III. 8. 15. Communiter ipsi tribuitur *tergeminus Status*, nim. & *Creationis*, & *corruptionis*, & *restorationis*. Ex creatione cuilibet hominum individuo competit *Humanus Intellectus*,
Huma-

PRAEFATIO.

5

Humana *Voluntas*, & Humana *Libertas*. Attribuitur Homini *Regnum Natura*, c. I. & II: *Regnum culpæ*, c. III. 1. seqq. *Regnum Gratia*, v. 8. 15. seqq. vel *Ratione DEI* *Regnum divinæ Potentia*, *Regnum divinæ Gratia*, *Regnum divinæ Gloria*: *ratione mundi*, *regnum creaturarum supra se, circa se, & infra se*: *ratione Vita*, tum *Vita naturalis*, c. I. & II. tum *præternaturalis*, c. III. 1. seqq. tum *supernaturalis*, v. 15. seqq. *Vita* tum *externa*, *ratione mundi*, tum *interna*, *ratione verbi*, tum *æterna*, *ratione cæli*: *Vita mundi*, quoad naturam, *vita Inferni*, quoad miseriam, *vita cæli*, quoad gloriam: *vita animalis*, *vita spirituais*, *vita cælestis*, & c. Sed Eminentissima, vel augustissima datur in DEO *Trinitas*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*. Si quis *Caput Primum* Patri, *Elohim Dicenti*, Gen. 1. 3. seqq. *Caput secundum* Filio, *Elohim Benedicenti*, c. II. 3. *Spiritu Sancto*, *Elohim instar Spiritus Diei* lucenti, tenebris nostræ corruptionis illuminanti, c. III. 8. vereque beneficia *Restorationis* applicanti, *caput Tertium*, certis respectibus consecrare vellet, multos in his capitibus certè respectus invenire posset. Nos in præsentis *pias nostras meditationes* ad *Spiritum Sanctum*, Εγγὺν ἡμῶν nostræ *conversionis*, & *salutis*, dirigimus, ejusque *Mysteria Pentecostalia*, secundum *afflatum*, *motum*, & *ductum* ipsius ex *Historia Pharisæica* conquirimus. Ipse, tanquam *Spiritus lucis*, appareat, tanquam *Spiritus Diei* claram *cognitionis Diem* in cordibus nostris accendat, tanquam *Spiritus Veritatis*, pulsus omnibus erroribus, ad *Veritatem divinam* corda nostra commoveat, tanquam *Spiritus Gratia* nostras animas ab omnibus falsis, & malis *inclinacionibus*, & *aberrationibus* noxiis, gratiose custodiat, tanquam *Spiritus timoris Domini*, *suggestiones*, & *commentationes* omnes ad sui *Nominis Gloriam*, *Fidelium ἐκδομῆν*, pleniorē Sui *notitiam*, & nostram ἀνἀγειραν, atq; πολυπραγμίαν, clementissimè ducat! Sit Ipsemet *Alpha & Omega* *Sacrorum laborum*! Sit *Autor & Dator*, *Auctor & Conservator*, *Mensor & Consummator* benedictorum, & saluberrimorum *fructuum*! *Breviter*; Sit *Omnia*! *Veni Sancte Spiritus*, & *emitte cælius* *Lucis tue radium*! *Sanctifica nos in Veritate*, *Verbum tuum est Veritas*! *FIAT!*

A 3

§. I.

S. I.

Pneumatologiam Pentecostalem Paradiscam ingressuri, non tantum uobilissimum *Tractationis objectum*, sed etiam evidentissimam *laboris methodum* respicere debemus, ut ex *priori tractationis Dignitatem*, ex *posteriori laboris facilitatem* nobis promittere queamus: *Prius* offert Materiam, *posterior* formam, *prius* dat esse, *posterior* bene esse, vel prodesse, *prius* habet rem, *posterior* præfert faciem, & accendit lucem, *prius* ostendit metam, *posterior* monstrat viam, *prius* rei facit indicium, *posterior* suggerit artificium, *prius* causam, *posterior* processum manifestat. &c.

2. Ut igitur *εὐμεθόδως* procedamus, ac eminentissimum hoc *Objectum* per evidentissimam *methodum* exhibeamus, ad *certa* potissimum *capita* nobis respiciendum, ut certum ordinem observare queamus, cum *ordo* sit *mater perspicuitatis, pulchritudinis, facilitatis, & utilitatis*; sicut *confusio* mater *obscuritatis, deformitatis, difficultatis, & incommoditatis*, secundum illud: *Ordine pervenies, quo non datur ire labore.*

3. Tria vera *Pneumatologias Pentecostalis Paradisiacæ Capita*, satis *plena, satis accurata, satis ordinata, satisque perfectæ* nobis eligimus, & ad hæc omnia proponenda dirigimus, nim. I. *Pneumatologias Pentecostalis Paradisiacæ subjectum*, vel ipsum *Spiritus Sancti Suppositum*. II. *Pneumatologias Pentecostalis Paradisiacæ Scatum*, vel *Spiritus Sancti Officium*. III. *Pneumatologias Pentecostalis Paradisiacæ Effectum*, vel *Spiritus Sancti Beneficium*: *Primum* ostendit *Naturam*, *Secundum* *Proprietatem*, *tertium* *Operationem*, quæ dicitur *accurata* non tantum, sed etiam *adæqvata distributio*: *Primum* tradit ipsum *Esse*, *Secundum* *Inesse*, *Tertium* *posse*: *Primum* explicat respectum a priori, *secundum* à formali, *tertium* à posteriori; *Primum* declarat *tractationis fundamentum*, *secundum* *eius munimentum & stabilimentum*, *tertium* *ipsius complementum*.

4. *Subjectum* dicitur *primum* *oranium cognoscendum*, cum dicatur *alias prærequisitum*, quod ante cuncta reliqua dicitur esse *requirendum*, dum ad *subjectum physicum* cuncta referuntur,

DE MYSTERIIS NOMINUM SPIRITUS S. 7

feruntur, de subjecto *Logico* cuncta prædicata dicuntur, ad sub-
jectum *Didactum* omnia reliqua pertinere deprehenduntur, vel
etiam ex eodem propter dependentiam disciplinarem desumuntur,
Item vocatur *presuppositum*, *præcognitum*, &c.

5. *Subjectum* nostræ tractationis est *Spiritus Sanctus*, *Anti-*
stes & *Hospes* Pentecostalis, dum *Act. II. 1. seqq.* *Præses* & *Anti-*
stes Festi Pentecostalis extitit, & tanquam *Hospes* Pentecostalis
apud Apostolos *hospitium* sibi paratissimum elegit, v. 4. imò *Pa-*
tri quoque, sicut, & *Filius*, domicilium in eis paravit, *Job. XIV.*
23. *Subjectum* hoc Pentecostale dicitur *Proprium*: sicut enim, ex
Tribus Ecclesiæ Festis Cardinalibus, Festum *Nativitatis Patri*,
propter *Filii* donationem, respectu cuius ἡ χάρις ἡ σωτηρία, Gra-
tia salutaris cuncta Hominibus apparuit *Tu. II. 11.* Festum *Pascha-*
le Filio, propter hostium spiritualium debellationem, & om-
nium bonorum, cumprimis vitæ, gratiæ, gloriæque restitu-
tionem, communiter tribuitur: Ita *Spiritus Sancto* Festum *Pen-*
tecostale peculiariter, seu *proprium* attribuitur multis de causis,
quas modo cumulare nolumus.

6. Hoc autem *Subjectum*, *Spiritum* vid. *Sanctum*, confide-
rabimus & ratione λέξεως, & ratione πραγματος, cum omnis tra-
ctatio, vel circa *Nomen*, vel circa rem ipsam versetur, sicut vul-
go notissimum.

7. De *Nomine Spiritus Sancti* plurima, quoad *Etymologiam*,
Homonymiam, & *Synonymiam*, nunc ex *Sacris literis*. & *Theologorum*
scriptis annotari possent, sed hæc sæpius expeditimus, modo viam
eandem premere nolumus, sed nostras meditationes potius ad
Historiam Paradisiacam convertimus, & ex eadem *Nomina*
Sancti Spiritus breviter, & luculenter evolvimus.

8. Dicitur autem *Spiritus Sanctus* (1) *Elohim*, *Gen. II. 1.*
Nam hoc *Nomen* est *Nomen h. l.* totius *SS. Trinitatis*, sicut sæpius va-
riis argumentis evicimus, adeoque non est folius *Patris*, neq; folius
Filii, sed etiam verè *Spiritus Sancti* *Nomen*, cum hæc prima to-
tius *revelationis*, totius *authentice consignationis*, & totius *Codicis*
Biblici, *Thesis*, non aliter per universam *scripturam*, tam *Veteris*,
quam, *Novi Testamenti*, secundum *Authenticam* ipsius *Sancti Spiritus*
exegetis

Exegesi declaratur, quam quod *Elobim Creator* sit *Pater*, sit etiam *Filius*, sit denique *Spiritus Sanctus*, prout videre licet, tum ex *immediata*, tum ex *mediata* scripturarum *exegesi*: *Moses* enim ex *immediato* *Spiritus Sancti motu, ductu, vel afflatu* statim, v. 3. seq. per omnes fere *Hexaemeri* dies perspicue declaravit, quod hic *Elobim Creans*, sit *Elobim Creator, Pater Dicens*, sit *Elobim Creator, Filius Faciens*, deniq; quod sit *Elobim Creator Spiritus Sanctus, Elobim videns*: nec aliud affert *mediata declaratio exegetica*, sicut videre licet ex *Pf. XXXIII. 6. Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis Exercitus eorum.* Plura nunc studio brevitatis omittimus.

9. (II) *Spiritus Elobim*, nim. non tam in *casu recto*, quod itidem non esset inconveniens, sicut ex aliis *Scripturæ locis* est certum; sed in *obliquo*, quia *Spiritus Sanctus* dicitur *Spiritus Elobim Patris, Matth. X. 20. & Spiritus Elobim Filii, Galat. IV. 6.* & hoc loco quoq; ceu statim in primo *Triadosophias* fundamento, & primo doctrinæ de *Trinitate* principio, similiter dicitur, *Spiritus Elobim*, non *Unius*, quia *Pater Filium* non excludit, nec *Filius Patrem* excludere cupit: neque *Trium*, quia *Spiritus Sanctus, sui ipsius Spiritus* nusquam in scripturis dicitur, neq; *sui Spiritus* esse potest, cum hoc nullatenus admittat ejus *ἐκπνευστις, Job. XV. 26.* nec *analogia fidei*, nec *analogia Scripture*, nec *analogia SS. Trinitatis*, vel *materia substrata*: manet igitur, quod h. l. *Spiritus Sanctus duorum Elobim, vel duarum personarum, Patris, & Filii*, dicatur *Spiritus*, cum hoc tum toti *Scripturæ Sacre*, tum etiam toti *fidei analogiæ*, tum etiam *Trinitati sacrosanctæ* sit consentaneum. Sic etiam hic ponitur *prima Thesis*, quod *Spiritus Sanctus* sit *Spiritus Elobim*, h. e. *Patris & Filii*, sicq; per universam scripturam, & non aliter, in locis competentibus, hæc *prima Thesis ἐξ η̄ν̄ων̄* exponitur: Qualis enim est *Thesis*, talis debet esse pariter *exegesis*: & qualis subjicitur *exegesis*, talis etiam præcedit, & præcedere debet *Thesis*.

10. (III.) *Elobim Videns, Gen. I. 3. 10. 12. 18. 25. 31.* Nam *Spiritus Sanctus* est *Elobim Videns* (1) non tantum *visione essentiali*, qua Deus est, & *essentialiter Videns*, dum non videt per *sensum*, aut *videndi potentiam*, sed potius per ipsam *Essentiam*, dum

dum omnia, quæ sunt in Deo, merum *τὸ πᾶν* dicuntur. Totus est *Jehova*, merus *Jehova*. Quicquid est, essentialiter est; quicquid potest, essentialiter potest; quicquid agit, essentialiter agit. Unde non tantum scriptura passim Deum, ut *Videntem*, & omnia *continentem*, ac *semper inveniuntem* introducit, sed Ecclesiæ quoque Doctores illud etiam observant, sicut *Cyr. II. Hierosol. Catech. 6.* scribit: *Ὁ Θεὸς ὅλος ἂν ὁφθαλμοῖς*, Deus totus totus oculus est: & *Augustin. Epist. 3. ad Ach.* idem annotat: *Deus totus oculus est, quia omnia videt.* (2.) Neque tantum *visione intellectuali*, seu *mentali*, quæ pariter est, cum *Spiritu Sancto*, *Patri Filioque* communis. Deus unus est *intellectus*, & unus *intellectualiter videns*: (3.) Neque tantum *visione causali*, quasi solus esset *causa visionis hujus*. Nam & *Pater* est *causalis visionis Autor*, & *Filius* itidem est *autor hujus causalis visionis*, & *Spiritus Sanctus* est pariter *autor causalis visionis*, & tamen non sunt tres *Autores*, sed unus tantum est *Autor causalis visionis*. nim. *verus DEUS*. (4.) Sed potius *visione personali*, dum per certum *characterem Spiritui Sancto Visio creationis*, ut *Elohim Videnti*, peculiariter appropriatur: sicut enim *Patri* competit *personalis Dicitio*, quia *Dicens Elohim* appellatur; *Filio* convenit *personalis Facitio*, quia *Faciens Elohim* nuncupatur, ita *Spiritu Sancto* dicitur propria *personalis Visio*, quia multis de causis, quas alibi proposuimus, eidem *visio personalis* appropriatur. (5.) *Visione Officiali*, quia tanquam *Spiritus lucis*, vel *Dici*, *Gen. III. 8.* *Spiritus intelligentiæ, scientiæ, sapientiæ*, *Esa. XI. 2.* *Spiritus illuminationis*, *Eph. I. 18.* &c. introducit, & sic tanquam *Spiritus visionis* describitur. (6.) *Visione terminali*, quia sicut, *Spiritus Sanctus* est terminus *SS. Trinitatis*, dum *Pater* est *Elohim primus*, vel *prima persona* Deitatis, *Filius* est *Elohim secundus*, vel *persona secunda* Trinitatis, ita pariter *Spiritus Sanctus* est *tertius*, & *ultimus Elohim*, hoc est *tertia persona* Divinitatis, unde pariter *tertius* operandi *modus* eidem *terminative* convenire dicitur. Tria siquidem *verba distinctè*, sicut ex textu patet, *Creatori*, vel *operi creationis*, attribuuntur. (1.) *Discere*, (2) *Facere*, (3.) *Videre*. *Dicere* *prima*

ma vocatur Operatio, *Facere* secunda, *Videre* tertia: *Dicere* Primo, *Facere* Secundo, *Videre* Tertio competit Elohim, quia *Dicere* Patris est Dicentis, *Facere* Filii Facientis, *Videre* Spiritus Sancti Videntis; *Videre* præsupponit *Facere*, quia, quod nondum factum est, illud etiam nondum videtur; sicut è contra, quod videtur, & oculis ceruitur, illud jam factum supponitur, dum facta, vel producta fiunt ἐκ μὴ Φαινόμενων Φαινόμενα, velut Paulus, Hebr. XI. 3. de *Creatione* satis emphaticè loquitur, quod *verbo Dei secula facta sint*, εἰς τὸ μὴ ἐκ Φααινόμενων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι: *Facere* vero præsupponit *Dicere*, quia, quod *ab intra* non dictum est in *Dei decretis*, ab æterno, nec in tempore dictum est in *Creatoris verbis*, illud etiam factum, vel creatum non est: *Ipsè dixit*, & facta sunt, *ipse mandavit*, & creata sunt, Psal. XXXIII. 6. *Dei Dicta sunt Facta*. Sicut enim per *Verbum* cuncta primum creavit, Hebr. X. 3. ita pariter adhuc hodie cuncta per *verbum* conservat, dum *omnia portat*, & *conservat verbo virtutis suæ*, Hebr. I. 3.

11. (IV.) *Elohim Sanctitatis*, vel *Sanctificationis*, Gen. II. 3. Nam ut Gen. I. Solum Nomen proprium *Elohim* Deo Creatori tribuitur, nec aliud ullum *Dei Nomen* Hebræum per totum Caput introducitur, quorum tamen plurima tum in *Genesis*, tum in *aliis libris V. T.* reperiuntur; & hoc idem nomen in hoc unico capite *tricies & bis* repetitur, quando creationis opus *explicite, distincte, & ordinatissime* describitur: ita pariter hoc ipsum rursus, in anacephalæosi, vel succincta repetitione *Creationis historię*, non *tricies*, non *decies*, neque *semel*, aut *bis*, sed *trina* potius *vice* repetitur, & per *commentarii* velut modum, Autor *Creationis* breviter exponitur, & ad *Trinitatem* restringitur, dum *Elohim* solummodo *tres* introducuntur, ac quidem non *simpliciter, & absolute* sicut Gen. I. 1. sed *hypostatice*, vel *determinate*; neque tantum sub *generali* quadam *verborum*, vel etiam *operationum*, *determinatione*, prout factum id erat sæpius *Cap. I. v. 3. seqq.* ubi per *generalia verba* ἢ *Dicere*, ἢ *Facere*, ἢ *Videre*, qua verba magis *generales operationes*, quam *specialia* vel *opera*, vel *beneficia*,
juxta

juxta textum inferre, vel etiam *operationes transeuntes* designare videntur, quia \int Dicere Patris, Fiat lux, Fiat Firmamentum, &c: olim in *Creatione* sonuit, & cum *Creatoris actu* transit: sicut etiam \int Facere Filii, per quod *primum* Creaturæ productæ fuerunt, non fuit *operatio permanens*, sed *transitoria*, dum juxta *Gen. II. 3.* Deus à creando *cessavit*, vel *quievit*, & hanc primam rerum productionem, vel creationem ultra, sexti dum non continuavit: & denique \int Videre Spiritus Sancti tum omnibus creaturis, in hac prima creatione, præfens fuit, tum in fine, vel *termino*, creationis statim adfuit, tum *cum prima* creatione desit, cum alia sit *visio lucis*, alia *solis*, & *stellarum*, alia *vegetabilium*, *ferribilium*, *rationalium*, &c. quæ certe *visiones* vera determinatè nullatenus inter sese confundendæ: Verum potius sub *speciali* quadam *characteristicarum notarum*, singulis personis competentium, *introductione*, *distinctione*, *determinatione*, *applicatione*, &c. qua ratione *primus Elohim c. II. 1. 2.* producitur tanquam *Creator*, & *Creationis consummator*, qui *Pater* est: *Secundus Elohim* adducitur, v. 3. tanquam *λόγος benedicens*, seu *Benedictionis Orator*, & *Collator*, per quem *Pater*, tanquam *Summum Benedictionis Oeconomum*, thesauros *Benedictionis* dispensat, cum primis autem hominibus appropriat, qui, sicut *Filius* est *imago Patris*, *Col. I. 15.* sic etiam ad *imaginem Dei* conditi sunt, *Gen. I. 26. 27.* ut ab *immagine* vel *essentiale*, vel *personali* Patris, *causalis* hæc *imago*, videl. *Homo*, *benedictionem* omnem consequeretur. *Tertius Elohim* denique, tanquam *Elohim sanctificans*, introducitur, qui non est alius, quam *Spiritus Sanctus*, cui *Sanctificationis* character, juxta *Catholicam*, vereq; communem appropriationem, assignatur. Est enim *Spiritus Sanctitatis* (a) ratione *nominis*, quia diserte partim in *abstracto*, *Spiritus Sanctitatis* appellatur *Psal. LI. 13.* partim in *concreto* *Spiritus Sanctus*, *Matth. I. 20.* *Luc. I. 35.* & passim alibi. (b) Ratione *distinctionis*, quia sic *Patri*, *Filiisq;* contradistinguitur. (c) Ratione *operationis*, dum tanquam *Spiritus lucis*, & *dei*, nostros *protoplastos* illuminavit, & à lapsu gravissimo, miserimisque serpentis funibus, aut catenis omnium impuritatum

eos mundavit, & vere *sanctificavit*, & hanc *sanctificationis operationem* postea semper in Ecclesia continuavit. (d) Ratione *descriptionis*, quia vocatur *πνεύμα ἁγιοσύνης*, *Spiritus Sanctificationis*, Rom. I. 4. (e) Ratione *appropriationis*, dum *ἁγιασμός*, vel *Sanctificatio* non semel in scripturis sacris eidē adscribitur, & *ἁγιασμός πνεύματος* appellatur II. Thesf. II. 13. I. Petr. I. 2. (f) Ratione *Catholicae Conversionis*, dum *Ecclesia Catholica* Christianorum, juxta *Symbolum Apostolicum*, dicit, & confitetur, se credere, per Catholicam fidem, in *Deum Patrem Creatorem*, in *Deum Filium Redemptorem*, omnis *Benedictionis Autorem*, & *Reparatorem*, & in *Spiritum Sanctum Sanctificatorem*. Hæc est fides primæ *revelationis*, Gen. II. 1. 2. 3. perpetuæ *continuationis*, per universam Veteris & Novi Testamenti scripturam, *Catholica professionis*, & *Confessionis*, juxta *Symbolum Apostolicum*, imò suo modo *Baptismalis*, & *Fundamentalis Conditionis*, dum nihil aliud in *Apostolico Symbolo* dicitur, quam quod in *Symbolo Baptismali*, Christianis *fundamentali*, reperitur, cum *Apostolicum Symbolum* nihil aliud sit, quam *Symboli Baptismalis*, à Christo traditi, Matth. XXIX. 19. plenior *adductio*, vel *uberior expositio*.

12. (V.) *Spiritus Diei*, Gen. III. 8. quia *Spiritus Sanctus*, juxta scripturam, vere dicitur *Spiritus Diei*, tum ratione *Diei naturalis*, Gen. I. 2 ubi *Spiritus Elohim*, tanquam *Creator*, vel *autor Creationis* allegatur, & mox tanquam utriusque *Spirantis*, *Elohim Patris*, & *Filii*, quorum alter est *Elohim Dicens*, alter *Elohim Faciens*, *Spiritus* notatur, & per *Elohim Videntem* explicatur, qui *vidit lucem* primam, per creationem factam, & in *diem primam* constitutam, sua *visione*, lustratione, probatione, solenniter confirmavit: tam ratione *Diei spiritualis*, quia *Spiritus Sanctus*, ceu *mysticæ lucis principalis autor*, cum sit *Spiritus illuminationis*, Eph. I. 18. per *verbi lucernam*, in loco *caliginoso* nostrorum *cordium*, talem *gratia lucem* accendit, ut *gratia dies illucescat*, & *lucifer* in cordibus peccatorum oriatur, II. Petr. I. 19. tum ratione *diei celestis*, quia sicut *Christus meritorie* per æternum *Spiritum* semetipsum obtulit immaculatum in *morte* Deo *Patri*, Hebr. IX. 14. sic etiam
hic

DE MYSTERHS NOMINUM SPIRITUS S. 13

hic *Spiritus vita*, Rom. II. 2. fideles per tenebras peccatorum in hac militia, perque tenebras mortis ad *aternam vitam*, vel regnum lucis deducit, ac in *lucem* immutabiliter *aternam* ad *Patrem luminum*, Jac. I. 17. solenniter introducit. Quod autem h. l. per *Spiritum Dei Spiritus Sanctus* sit intelligendus, illud alibi non semel variis ex textu fundamentis est confirmatum. Hic saltem urgemus (a) *Totius Trinitatis Collegium*, quia *Pater, Filius, & Spiritus* h. l. producentur, *Pater* sub *Jehova Elobim*, *Filius* sub nomine HP , *Vocis*, seu *Verbi*, Sanctusque *Spiritus* sub titulo *Spiritus Dei*; si proinde *Pater*, & *Filius* adest, ipse *Spiritus Sanctus* etiam adesse deprehenditur. (b) *totius SS. Trinitatis institutum*, quod est *revocatio*, vel *restauratio* lapsorum hominum, vel peccatorum, ad quod necessario sicut *Pater* & *Filius*, etiam *Sanctus Spiritus* requiritur. (c) *Ipsam restorationis mysterium*, quod Deus ita perficere dicitur, ut *Pater* illud, quoad initium, inchoet, *Filius*, quoad meritum, impetret, & *Spiritus Sanctus*, quoad terminum, consummet. (d) *Characterum personalium indicium*, dum *prima persona* dicitur *Pater*, vel *Paterfamilias*, ad peccatores ambulans, & in horto *deambulans*: *Secunda* dicitur *vox*, & *verbum sonans*, & *voluntatem Patris* revelans, Job. I. 18. *Tertia* *Spiritus movens*, movendo *lucens*, lucendo *ducens*, ducendo *docens*, docendo de mysteriis *restorationis erudiens*, in *Missia* nim. per fidem ad salutem, II. Tim. III. 15. (e) *Nominum personalium speculum*, dum nomina rerum non modò *symbola*, sed etiam certa quaedam *specula* vocantur, quia res in nominibus audimus, cernimus, & cognoscimus. *Pater* dicitur *Jehova Elobim Creator*, sicut ex collatione v. 1. & 8. patescit, h. e. verus *Autor*, & *Pater* creaturarum: *Filius* vocatur HP , *Vox*, *Verbum*, & *Sermo Patris*: *Spiritus sanctus* titulum proprium gerit, & nomine *Spiritus*, & communiter quoad *usum*, & peculiariter, quoad *ortum*, *statum*, & *actum*, vel *effectum* appellatur. (f) *Operationum*, vel etiam *operum personalium testimonium*, quia *Jehova Elobim* tribuitur *provida cura*, vel ipsa *paterna providentia*, cum aliàs in sacris ad *Patrem* hac *providentia* referatur, sicut *Pater providens* inter creaturas obambulat,

bulat, creaturas omnes, & obedientes, & inobedientes, & stantes, & labentes, diligenter observat, obsequiosas in esse suo conservat, immorigeras prudenter investigat, & à deviis ad rectas vias revocat, sanas roborat, confortat, & confirmat, agrotas, & malè habentes, remediis convenientibus, sufficientibus, & efficacibus reformat, & restaurat, & aliis plurimis modis, atque mediis paternum affectum, studium, atque beneficium dispensat: *Vox, & Verbum loquitur*, nuncium *reversionis, conversionis, & restauranda salutis* eloquitur, & instar *Evangelistæ, vel Doctores* fidelis, cuncta peccatoribus restituendis ad *fidem, & salutem*, verbis evidentibus proloquitur, ut statim sequatur *reformationis, informationis, professionis, & confessionis vitæ spiritualis, & cælestis, effectus & eventus*. Deniq; *Spiritus Dei spirat, & adspirat* auribus verba *vocis Jehovæ Elohim*, imò non tantum auribus *adspirat*, sed & mentibus, ad veram cognitionem, & cordibus, ad veram *fidem, fideique conservationem, & perseverantiam inspirat*, & efficaciter gratiosam *Patris voluntatem*, atque *curam, & Filii meritoria dicta*, atque *facta*, per mysticum *motum, ductum, & actum* applicat, ut *Messiam, & Redemptorem* suum, ac omne *salutis negotium*, quantum sufficit, luculenter *cognoscant*, firmiter *credant*, & in his *mysteriis salutis* per veram fidem constanter acquiescant. (g) *Peculiare Spiritus hujus elogium*, quia *Spiritus sanctus Spiritus Dei* nuncupatur: sive proinde sigillatim *voces*, sive conjunctim integrum *Titulum*, accuratius paulò consideremus, ad tertiam *Deitatis personam, Spiritum sanctum*, manu quasi ducimur. Nam *Spiritus Nomen*, licet ἁγιωσύης sit *Nomen* aliquod commune pro *Personis omnibus*, cum *Deus sit Spiritus, Job. IV. 24.* & *singulis, cum & Pater sit Spiritus, & Filius sit Spiritus, & tertia persona*, quæ præsentis considerationis, sit pariter *Spiritus*, tamen ἰδίως, ἰδιοτελείως, ἰδιοπροϊντικῶς, propter *personalem ortum, statum, motum, actum, effectum, &c. Spiritus sanctus* hoc nomine, tanquam *proprio*, gaudet. Quando *v. Diei Spiritus* appellatur, sic ad *diem gratiæ, vel salutis, aut restorationis*, respectus habetur, cum verba secundùm *substratam materiam* supponantur, & intelligantur, qui
dies

Dies gratia non nisi per *motionem, illuminationem, & elucidationem Spiritus sancti* peccatoribus exoritur, qui per suam *illuminationem, & regenerationem*, per veram *justificationem, & sanctificationem*, mediante vera *penitentia*, peccatores è *filis tenebrarum lucis filios* efficit, & ad diem, atque *regnum gratia*, vel *gratiosæ lucis*, eos deducit. Quando *totum titulum* expendimus *Spiritus diei* h.l. non refertur ad *creaturas*, sed ad *apostas*; non ad *homines*, sed ad *peccatores*; non ad *macrocosmum*, sed ad *microcosmum*; non simplicitur, sed in certo statu presenti constitutum; non ad solem *physicum naturæ*, sed ad *solem mysticum justitiæ*; Mal. IV. 2. non ad *mundum*, sed ad *verbum* non ad *vitam animalem*, sed ad *spiritualem*; non ad *externi paradisi labores*, quibus alias *Dies naturalis* inservillet, sed ad *interni paradisi*, vel *Ecclesiæ propagines*, *spirituales vires, flores, fructus, &c.* (h) *Singulare Spiritus hujus complementum*. Nam *Vetus Testamentum* dicitur *Novi typus*, & *Novum* appellatur *antitypus Veteris*: *Harmonia* vero datur inter *typum*, & *antitypum*, cum *typus* sit *Antitypi* verus *typus*, & *antitypus* sit *typi* genuinus *Antitypus*: ubi talis *harmonia*, vel *analogia* cessat, ibi quoque ratio *typi formalis*, & *antitypi* prorsus expirat. Sic ergo requiritur, & reperitur vera, quoad *typum*, & *antitypum*, *convenientia*, ut *typus* ex *Antitypo*, rursus *Antitypus* ex *typo* notari non tantum, sed etiam tum *probari*, tum *explicari*, tum *confirmari*, tum *illustrari* queat. In *paradiso* deprehenditur, præter alia, *typus Pentecostalis* in *negotio* vel *mysterio restorationis*, ejusque tum *manifestationis, inspirationis, informationis, applicationis, &c.* & hoc respectu *Spiritus Sanctus*, tanquam *Spiritus Diei*, producit, ut *pentecostalia mysteria*, vel *beneficia*, tanquam *Spiritus Diei*, protoplastis offerat, conferat, & ad eorum veram *pœnitentiam, fidem* atque *salutem* efficaciter referat. Hujus *Typi principalis Antitypus* in *Solemnitate pentecostes Novi Testamenti*, per *complementi* modum, invenitur. Non autem alia ratione, quam instar *Spiritus Diei Pentecostalis Autor, & Doctor, Spiritus Sanctus, Apostolis, & universis fidelibus Novi Testamenti*, se manifestare voluit, sicut *Act. II. 2.* legimus: *Nam factus est repente de cælo sonus, tanquam*

quam advenientis Spiritus vehementis, & replevit eorum domum ubi (nim. Apostoli) sedentes erant, & apparebant illis dispersita lingua, tanquam ignis, seditq; supra singulos eorum. Sic igitur Spiritus Sanctus Apostolis apparuit instar Spiritus, & lucis, vel etiam Diei, dum gratia Diem in toto terrarum orbe, tempore N.T. voluit inchoare: non aliter, quam sicut olim protoplastis apparuerat, dum vel in toto genere humano, vel in V. T. typice gratia Diem initiare studuit.

13. (VI.) *Jehova Elobim*, quod equidem commune Totius Sacrosanctæ Trinitatis nomen est, cum hæc dicatur *Jehova*, vel *Deus*, quoad *Essentiam*, & *Elobim*, quoad *tergeminam subsistentiam*, *Pater*, *Filius* & *Spiritus Sanctus*, sicut hoc in *Tract. de Jehova Elobim Creatore*, & *Jehova Elobim Conservatore*, sapius & alibi est demonstratum: Interim sicut alia DEI nomina dupliciter in sacris literis supponuntur, (1) ἰσῳδῶς, & *Essentialiter*, quatenus *unus Deus* nominibus istis significatur: (2) ὑποστατικῶς, vel *personaliter*, quando nomina talia restringuntur ad *certas personas*, sicut vel ex capite primo *Geneseos* observare licet, ubi vox *Elobim*, modo de *personis tribus*, v. 1. modo de *duabus*, v. 2. modo de *una* saltem adhibetur, v. 3. seqq. sic idem etiam de *augusto Nomine conjuncto*, *Jehova Elobim*, dicendum, quod modo *Patri*, modo *Filio*, modo *Spiritui Sancto* peculiariter approprietur, quemadmodum alibi non semel hoc ex sacris textibus proposuimus, & exposuimus. Hac vice saltem ad *Gen. III. 8.* respiciemus, ubi *Pater* est *Jehova Elobim*, tanquam *Deus providus*, in paradiso *deambulans*, & sollicitam *curam*, de creaturis *conservandis*, & *restaurandis*, animo versans: *Jehova Elobim* est *Filius*, tanquam *Deus λόγος*, & *Evangelista Principalis*, *Evangelium* è sinu *Patris* enarrans, *Job. I. 18.* & peccatoribus pœnitentibus denuncians: quod enim olim *prefiguravit* in paradiso *naturali*, tanquam *Ecclesie militantis typo*, sicut id *Gen. III.* legimus; illud etiam in diebus carnis, quoad *Officium Propheticum*, in *paradiso spirituali*, vid. *Ecclesia* tum *Apostolorum*, tum aliorum *fidelium Judæorum*, tanquam *Antitypo*, *solemni præconio* consummavit, cura sit verus *Jehova*

hova Elobim, in Trinitate, qui, quoad *Essentiam*, verus *Jehova*, quoad *subsistentiam*, verè genitus *Elobim*: *Jehova Elobim* denique *Spiritus sanctus* est, & peculiariter dicitur רוח הוי, *Spiritus Dei*, qui *Spiritus Jehova*, in casu obliquo, *Gen. VI. 3.* & *Spiritus Jehova* in casu recto, dum non semel in sacris *Jehova* nuncupatur. *Num. XI.* & passim alibi; sicut etiam, tanquam *Elobim* videns, sexies, *Gen. I. 3.* seqq. introducitur. Et notum est, quod in Scripturis, propter simplicissimam identificationem, & eminentissimam conditionem, omnes personæ Nominibus iisdem & manifestentur, & denominentur.

14. (VII.) Si quis etiam ultimum Nomen, quo *Spiritus sanctus* appellatur *Spiritus Jehova*, *Gen. VI. 3.* hic in meditationibus *Pentecostalibus* addere velit, nec à vero, nec à congruo, nec à decoro, sic aberrabit; licet enim hæc appellatio nequiquam præterea in *Historia paradisiaca* legatur, tamen illa nec raro variis iudiciis in eadem insinuat, & adhuc existente paradiso, cum ad diluvium usque *paradisiacus hortus* duraverit, ab ipso Deo verbis apertis nomen hoc usurpatur. Quod autem Nomen istud, quo *Spiritus Sanctus Spiritus Jehova* nuncupatur, sit verè *Pentecostale Nomen*, ex toto contextu probatur: (1) ex *Pentecostali ansa*, quæ dicitur *Diluvium peccatorum*, quod post se traxit *diluvium suppliciorum*. Nam quamdiu non contingit *extraordinaria* quædam *Ecclesiæ deformatio*, tamdiu nec requiritur *extraordinaria* quædam *Spiritus Sancti reformatio*, sicut à priori patet ex plenaria *deformatione protoplastorum*, *Gen. III. 5. 6.* ubi successit *extraordinaria Spiritus Dei*, v. 8. *reformatio*: tum à *formali*, ex *totali depravatione hominum antediluvianorum*, ubi *status* omnes humani generis maxima *corruptione* depravati fuerunt, *status Oeconomicus*, c. VI. v. 1. 2. *Ecclesiasticus*, v. 3. *Politicus*, v. 4. quæ *totalis depravatio* Statuum verbis multis inculcatur, & ab ipso DEO quasi deploratur: tum à *posteriori*, tempore *Christi*, vel *primæ Pentecostes Novi Testamenti*, ubi totum *synedrium*, & omnes *Status* in *Ecclesia Judæorum* *totali corruptione* laborarunt, & summa necessitate *novam Spiritus Sancti reformationem* desiderarunt.

C

(2) Ex

(2) Ex *Pentecostali causa*, quæ dicitur ipse *Jehova*, v. 3. & *Ha-Elobim*, v. 9. vel *personaliter*: *Jehova Filius*, tanquam λόγος *e-loquens*, & de malitia corruptorum hominum *conquerens*, v. 2. *Jehova Videns* malitiam hominum, & omnem malam cordis humani cogitationem, v. 5. *Jehova Pater panitens*, de hominibus *factis*, instar *Creatoris*, & instar *Conservatoris*, non amplius *conservationem*, sed *extirpationem*, atque *deletionem* gravissimorum peccatorum *decernens*, v. 6. 7. fidelibus tamen *gratiam* suam offerens, v. 8. Sic etiam *personalis accommodatio*, quoad nomen *Elobim*, respectu *trium personarum*, invenitur. *Elobim Pater* dicitur *Creator*, quem *Filii Elobim* graviter offenderunt, dum vere graviter contra *leges* ejus, etiam in *conjugio*, deliquerunt, v. 2. imò tanquam *Elobim judex* promulgat *judicium*, & *supplicium* gravissimorum peccatorum, v. 13. *segg. Filius est Ha-Elobim*, qui tanquam *Autor, Pastor, & Dominus*, vel *Imperator Ecclesia*, semper *ambulat in Ecclesia*, cum *Ecclesia*, fidelesque *cum*, & *coram* ipso semper *ambulare* debent, ad exemplum *Noè*, v. 9. *Spiritus Sanctus est Elobim Videns*, v. 12. qui titulus *tertia personæ proprius*, & *peculiaris est*, *Gen. 1.3. segg.* sicut & in contextu reliqui *characteres personarum*, non negliguntur, *Elobim Dicens, Pater*, v. 13. *Elobim Videns, Spiritus Sanctus*, v. 13. & certo modo *Faciens Elobim*, v. 6. vel etiam *supplicium faciens*, & antediluvianis immittens, sicut *Jehova Filius*, à *Jehova Patre sulphur*, & *ignem super Sodomitas* pluit, *Gen. XIX. 24.* (3) Ex *Pentecostalis Oeconomias persona*, quæ *Spiritus Sanctus*, & hic tanquam *Spiritus Jehova*, nominatim introducit: (4) Ex *Oeconomias pentecostalis istia*, quæ consistit in *Officio*, & *Exercitio Pentecostali Spiritus Sancti*, quo docet, & ducit, movet, & fovet, informat, & judicat, *adhortatur & dehortatur*, simul & *consolatur Ecclesiam*, sicut ex *Job. XIV. XV. XVI* & aliis locis multis videre licet; quæ cum aliis *Exercitiis Pentecostalia* non obscurius h. l. *Spiritus Jehova* tribuuntur. (5) Ex *Pentecostali Officina*, quæ dicitur *Ecclesia*, sicut patet ex *Gen. III. primo statim ingressu* muneris hujus, colligitur ex *continua praxi Spiritus Sancti*, per omnia secula, quæ formaverat,

rat, plantaverat, informaverat, gubernaverat, & judicaverat, haectenus Ecclesiam: demum & ex egressu, respectu temporum antediluvianorum, Gen. VI. 3. seq. quia propter inundationem, & multiplicationem omnium scelerum, homines excacati, vel prorsus indurati, non amplius motum, ductum, & actum Spiritus Sancti Pentecostalem, admittere volebant. &c:

15. Hæc sunt *Explicita Nomina Sancti Spiritus in historia paradisiaca*, per *Mosen* ἀπολεξεί noted: si quis *implicita* notare vellet, longe *plura Pentecostalia Nomina* connumerare posset. Nam *Spiritus Sanctus* est (1) *Spiritus Pentecostalis appropinquationis*, Job. XIV. XV. XVI. Act. II. 2. sic etiam ut talis introducitur, Gen. I. 2. c. III. 8. in primo loco fuit *Spiritus appropinquationis ad vitam nature*, quia suo vivifico accessu vivificavit omnia: In posteriori venit ad *vitam gratie*, dum protoplastos, ceu peccatores, in peccatis mortuos, Eph. II. 1. appropinquatione sua, *vitam spirituali*, per verbum donavit. (2) *Spiritus Pentecostalis incubationis*, vel *obumbrationis*, cui propria dicitur ἐπίλευσις, & ἐπισκλασμὸς, Luc. I. 35. Act. II. v. 3. similiter ut *Spiritus incubationis*, & *obumbrationis*, in historia paradisiaca, c. I. 2. describitur. (3) *Spiritus Pentecostalis apparitionis*, dum instar *columbae* Matth. III. 16. in baptismo Christi solemniter apparuit: & in *festo Pentecostali* super Apostolos, instar *ignis*, *lucis*, vel *ignitarum linguarum*, comparuit, Act. II. 3. Sic etiam in historia *Paradisiaca* tanquam *Spiritus Diei*, vel *lucis*, nostris protoplastis manifestatus. (4) *Spiritus Pentecostalis Vivificationis*, cum sit *Spiritus vite*, Rom. IX. 2. qui vivificat omnia, cum primis poenitentes peccatores, ad *vitam spiritualem*, ex *morte* peccatorum transfert: talis etiam *Spiritus Sanctus* fuit nostris Protoplastis, Gen. III. 8. qui *mortem spiritualem* peccatorum expulit, & *vitam Messie spiritualem* per verbum ipsis contulit, v. 15. & 20. (5) *Spiritus Pentecostalis regenerationis*, quia sicut homo peccator per *naturam* nascitur *caro de carne* secundum *spiritum corruptum*; ita secundum *Spiritum sanctum* per *gratiam* nascitur *spiritus ex Spiritu*, Job. III. 6. unde *spiritus regenerationis* Tit. III. 5. nuncupatur.

Conf. *Act. II. 38.* ita nostris etiam protoplastis fuit *spiritus regenerationis* per verbum, dum per illud *carnalem degenerationem serpentis* destruxit, & *spiritualem regenerationem* in ipsis per idem verbum promovit, ut ex *filiis Diaboli* vere *Dei filii*, ex *carnalibus spirituales*, ex *infidelibus fideles*, ex *spiritualiter mortuis spiritualiter vivi*, ex *Satanicis Messiani* sint effecti. (6) *Spiritus Pentecostalis conversionis*, sicut beneficio *Spiritus Sancti* per unam *Petri concionem, Act. II. 41.* *tria millia* hominum peccatorum simul & semel ad veram *conversionem* pervenerunt. Sic etiam nostris Protoplastis *Gen. III. 8.* seqq. vere *conversionis Spiritus* extitit, dum eos à *Diabolo* ad *Deum*, à *Satana* ad *Messiam*, à *nocte* ad *Diem*, à *tenebris* ad *lucem*, à *morte* ad *vitam* convertit. (7.) *Spiritus Pentecostalis recreationis*, sicut *David* orat in *pentecostali* suspirio, *Psal. LI. 12.* *Cor mundum crea in me, Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis*: ita protoplasti nostri per miserimum lapsum *bonis* omnibus *creationis*, ipsa quoque *vita* spoliati, de *novo creati* fuerunt, ut essent in *Domino nova creatura*, quia creati sunt in *Messia*, tanquam *nova creatura*, non ad *opera mala serpentis*, sed ad *opera bona Redemptoris*, *Eph. II. 8.* (8) *Spiritus pentecostalis Sanctificationis*, quia *Sanctificatio* juxta *scripturam*, & *fidem Catholicam*, in *Apostolico Symbolo*, *proprium*, & *peculiare* dicitur *Sancti Spiritus opus*: sicut *Creatio* Patri, Filioque *redemptio* peculiariter appropriatur: Sic etiam *Spiritus Sanctus* in *Historia paradisiaca* producit ut *Elohim Sanctificans* *Diem septimum*, vel *Sabbathi*, *Gen. II. 3.* & vere protoplastos, tanquam *profanos serpentis socios*, & ab omni *sanctitate* prorsus *alienos*, verè. proprieque *sanctificavit*, ut fierent *Sancti Patris caelestis Filii*, *Sancta Messiae membra*, demum etiam *Sancta Spiritus Sancti*, tanquam *Hospitis Pentecostalis, Tempa.* (9) *Spiritus Pentecostalis purificationis*, *Spiritus Sanctus* à primo *sesto Pentecostali* plurimos peccatores per *baptismum* ab *impuritate* peccatorum *mundavit*, velut *Petrus* testatur, *Act. II. 38.* *Penitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti.* (10) *Spiri-*

(10) *Spiritus Pentecostalis illuminationis*, quia *Spiritus Sanctus* est *Spiritus illuminationis*, *Eph. I. 18.* à quo pendet *lux mystica Pentecostaliū animarum, mentium, cordium, &c.* ita protoplastis etiam apparuit tanquam *Spiritus Diei*, qui *tenebras infernales, & spirituales* pepulit, *Gratia Diem* accendit, *justitiæ solem*, *Messiam*, in *corda* protoplastorum, & *totam vitam* ipsorum, deduxit, & *diem spirituales*, vel *Pentecostalem*, apud ipsos, & posteros promovit.

16. Non equidem difficile foret, plures *illustres Titulos Spiritus sancti*, secundum *Historiam paradisiacam*, producere, e.g. quod sit *Spiritus Pentecostalis adoptionis, filiationis, dilectionis, informationis, reformationis, adhortationis, dehortationis, confirmationis, obfignationis, reificationis, commonestationis, conservationis, consolationis, &c.* quales solent aliàs ex scriptura, meditationibus Pentecostalibus consecrari, sed modo pluribus hanc *Onomatologiam Paradisiacam* persequi nolumus.

17. Pergimus igitur, Duce *sancto Spiritu*, nunc ad *Rem, & Doctrinam* ipsam, de *Subiecto*, vel *Hospite Pentecostali*, piisque commentationibus paradisiacis in *Tria* potissimum capita studiosius inquirimus. Sic autem offendimus I. *Pentecostalem sancti Spiritus Existentiā. II. Essentiā. III. Subsistentiā.*

18. *Existentiā Pentecostalis Hospitis* non uno modo considerari potest: nos h. I. potissimum adducemus *triplicem Existentiā Spiritus sancti statum.* I. *Existentiā Sancti Spiritus absolutam*, ratione *Sui*, quod revera sit & detur *Spiritus sanctus.* II. *Existentiā Spiritus relatam*, ratione *Dei*, quod revera sit in *Trinitate*, vel *Deo Trinuno.* III. *Existentiā Spiritus sancti comparatam*, ratione *nostri*, quod revera nobis sit, & existat *Spiritus sanctus: primus* respectus potissimum est *cap. I. secundus cap. II. tertius cap. III.* *Primus* est *Creationis*, *cap. I. secundus conservationis*, *c. II. tertius restorationis*, *c. III. primus* respicit potissimum ad esse creaturarum, *secundus* ad bene esse, *tertius* ad prodesse, &c. Ubi tamen observandum, quod hæc neutiquam *exclusive*, sed *inclusive* dicantur, & intelligantur.

19. *Absoluta sancti Spiritus Existentia* saltem existere nudum importat, quod revera detur *Spiritus sanctus*, sicut hoc non tantum ex tota *Scriptura sacra*, ex tota *fide Catholica*, ex tota *Theologia*, ex tota *Catholica Ecclesia*; sed etiam ex aliis immotis fundamentis prolixè demonstrari posset. Hac vice brevitati studebimus, & pauca tantum movebimus.

20. Primum ex *Scriptura sacra generatim* pro certa *sancti Spiritus Existentia*, constanter urgemus (1) *plurima Spiritus sancti Nomina*, quæ modo sigillatim producere nolumus, cum passim eadem collecta deprehendamus. Nomina vero sunt rei *hymbola*, *specula*, *vehicula*, *media*, &c. & dici requirit ipsum esse, cum *Nomen*, vel *τὸ Dicit*, sit *materiale*, sed *res*, vel *esse*, tanquam *significatio*, sit *formale*. (2) *Plurima sancti Spiritus epitheta*, vel *elogia*, quæ pariter in *scripturis* & *Veteris*, & *N. T.* magno numero copiosius occurrunt, Vid. *B. Chemnit. in LL. CC. loc. de Spiritu S.* (3) *Plurima Spiritus sancti Propria*, quia cunctæ *proprietas Dei Spiritui sancto* tribuuntur, & in *sacris literis* ad eum referuntur: hæc autem adjuncta propria verè proprium prærequirunt, & præexigunt *subjectum*. (4) *Plurima SS. literarum testimonia*, quæ tum *explicitam*, tum *implicitam Spiritus sancti mentionem faciunt*, & vere *divina testimonia* sunt, atque *veritatem* infallibilem secum ferunt, cum *Deus* sit *testis* quavis exceptione major. (5) *Plurima Spiritus sancti Officia*, quorum unumquodlibet suum certum *subjectum* necessario respicit, & illud ante se requirit, cum *Non-Entis*, vel *Non-Existentis*, nullum sit *Officium*. (6) *Plurima sancti Spiritus Opera*, quæ pariter plurimis in *locis*, *Veteris*, & *N. T.* luculenter, & abundanter introducuntur. Opus autem testatur de suo *Opifice*, & *Effectus* de sua *caussa*. (7) *Plurima sancti Spiritus Beneficia*, quæ numero sunt *multa*, pondere satis *magna*, virtute *ponderosa*, dignitate prorsus *inestimabilia*. (8) *Plurima Sancti Spiritus judicia*, cum sit *Spiritus judicii*, *Esa. IV. 4.* & semper in *Ecclesia* per *legem*, cum primis in *Epanorthoticis* peccatores judicet, *Gen. VI. 3.* *Job. XVI. 8.* (9) *Plurima Sanctæ Scripturæ Oracula*, quæ omnia peculiariter *Spiritum Sanctum Autorem*, agnoscunt,

gnoscunt, quia tota scriptura *characterem Spiritus Sancti*, quoad naturam suam includit, dum *πᾶσα γραφή θεόπνευτος*, appellatur, II. Tim. III. 16. dum à *Spiritu Sancto*, ejusque afflatu derivatur, & *lingua*, vel *calami Virorum θεόπνευστων* fuerunt *calami promti scribae*, Psal. XLV. 2. quia non unquam allata fuit *propheta ex humana voluntate*, sed *Sancti DLI homines locuti sunt*, ὑπὸ τῆς πνεύματος ἁγίου φερόμενοι, à *Spiritu Sancto ducti, moti, inspirati*, &c: (10) *Plenaria Scriptura structura*, quia *Spiritus Sanctus in scripturarum initio, medio, & termino*, paginam utramque facit: nam, Gen. I. 2. statim dicitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: postea per *universam scripturam*, tum *V. tum N. T.* frequentissime *Spiritus Sanctus*, tanquam *Autor*, & *Principalis* per scripturam *ἐγγοδιάκην* introducit: in *sine* denique *Apoc. XXII. 17.* paulò *ante finem*, legitur: *Et Spiritus, & sponsa dicunt: Veni!*

21. Ex *Historia Paradisiaca* pariter *Existentiã absolutam Sancti Spiritus* invictis argumentis evincere possumus (1) Per *Existentiã nominis*, quia *Spiritus* hic nominatenus introducit, non *humano more*, quo sæpius homines sine re verbadare, verbis autem nullam fidem præstare, vel rem cum verbis copulare solent, quæ dicitur vera *deceptio*, sed hæc non cadit in *Verbum veritatis*, quod est *scriptura sacra*, Col. I. 5. (2) per *Existentiã Flamini*, & quidem in principio creationis, non *passivi*, sed *activi*, quod *Spiritus sancti* characterem importat, cum solus *Deus* in creatione prima se *causaliter*, & *active* manifestarit. *Moses* enim disertam *Spiritus agentis* mentionem facit. (3) Per *Existentiã Numinis*, quia vocatur *Spiritus agens*, & *agens* *movens*, atque *fovens*, *motitans*, ac *incubans*, vel *incubando creans*, vel ad creationem *parans*, & *formans*, quod solius est *Spiritus divini*, vel *creantis Numinis*. (4) Per *Existentiã virtutis*, quia dum *omnipotente*, vel *omniprasente*, simul & *omniscia*, vereque *vivifica* virtute præditus fuit hic *Spiritus*, siquidem *partim* quoad *omnipotentem virtutem* in omnia creanda *causaliter* agere potuit, quod *omnipotentem vim* exigit; *partim* quoad *omniprasentem*

presentem virtutem se potenter, & æqualiter, ad omnia, vel singula producenda, cum nullis creandis defuerit, omnibus condendis creatrice virtute præsens extitit; partim quoad omnisciam virtutem singulis creaturis propriam suam naturam, proprias pariter affectiones, & essentielles operationes, sine defectu destinavit; partim vivifica virtute, singulis viventibus vitam, sive vegetabili, sive sensibili, sive rationali, vitam propriam depuravit, & communicavit: jam, existente virtute, non potest non existere Spiritus, hujus virtutis subjectum. (5) Per existentiam, energias, vel operationis, quæ per incubationem, exprimitur, Hebr. מרחפת, quæ vox emphatica maximè dicitur. Verbum מרחף scribit, Hotting. in Hist. Creat. p. 44. in contextu sacro rarius occurrit, & quidem ter tantum, b. l. Deut. XXXII. 11. & Jerem. XXIII. 9. Motum aliquem notari, non est dubitandum. Unde Kimchius probatis exemplis colligit, omnia motionem, & agitationem notare: idque vel proprie, vel improprie. Proprie est actus avium, alarum motus, vel extrinseco, vel intrinseco, pullos foventium, aliq. incubantium. Improprius est Metaphoricus, qui vel Deo tribuitur, vel Homini. Deo, b. l. Homini, Jerem. XXIII. 9. (quæ Metaphora tamen Synecdochica est,) מרחפת, Commota sunt ossa mea misericordia, & σπυρα Deia, in Prophetas, sicut alæ avis, quæ moventur super nido suo, regendi, aut fovendi gratia, &c; & postea, p. 45. Nobis incubandi, incubando movendi, fovendi, significatio præceteris placet, (a) quia circumstantia textus optime convenit. Hæc enim propria sedes est, quæ Spiritus Sancti partes in creationis opere ostendit. (b) Vocis propria significatio, quæ ex Deut. 32, erui debet, idem evincit. (c) Hebrai, & Sivi idipsum constanter asserunt. (d) Reliquæ Interpretationes variis difficultatibus sunt expositæ. (e) Theologi, Critici, Lexicographi, Philosophi Christiani, recentiores cum primis, idem sentiunt, &c: Hæc operatio citra dubium Autorem Operationis hujus prærequirit. (6) Per existentiam Objecti, quia Spiritus incubabat aquis, Jam ubi reperitur objectum, quod objicitur subjecto, ibi necessario præexigitur Existentiæ Subjecti, cui tanquam Objectum offeratur, vel objiciatur:

Nam

Nam quod nec est, nec existit, ei neutiquam aliquid adu potest obijci. Dum igitur *Spiritus Elohim incubuit aquis*, e jus *existentia* simpliciter necessaria fuit. (7) Per *Existentiã Operis*, quia præsens incubatio vere fuit *creatrix alienis operis*, & ad ipsius creationis opus respexit, adeoque *Creatoris Existentiã* ostendit.

22. Licet autem ex his satis certa sit *existentia Spiritus* alicujus, tamen *Interpretum* libertas, vel potius *licentia*, simulq; *sententiarum varietas*, quadantenus incertum reddere videntur, quinam *Spiritus* hic, quoad *Existentiã*, sit intelligendus. Nonnullas modo sententias recitabimus, & paucis juxta textum examinabimus. Sunt (I) qui *Vitalem Spiritum mundi* hic notatum volunt, qui *ferretur super materiam rerum visibilium*, ut habet *Augustin.* c. 4. libr. Imperf. de Genes. *Hunc*, ait *Mercurius*, *Gentiles dixerunt esse Spiritum intellectualem, & igneum, non habentem formam, sed in quamcumq; voluerit se transformantem, & se universis exequantem, à quo omnia genita esse volebant Zoroaster, & Heraclitus, quem Orpheus ardentem Spiritum, & Pyriphon, seu igneum spiraculum appellavit. Platonicis, dixerunt animam Mundi, ob quam Pythagorici omnia Diis plena censebant, ad unum Jovem eos referentes. Verùm Gentiles sapientiores per Mundi Spiritum, non formam aliquam mundi, sed causam potius aut intellexerunt, aut secundum recte rationi ductum intelligere debuerunt. Mundus enim corpus naturale non est, adeoq; nec *Eus per se* dicitur, nec ei commode vel *materia*, vel *forma*, vel *anima* tribuitur. Omnium corporum naturalium congeries, & commune Systema Mundus est, non autem propriam, vereq; distinctam, ab omnibus aliis diversam, naturam possidet. Nec *Spiritus mundi Protheus*, quidam est, qui *rationi*, vel etiam *naturæ* convenienter, in omnes formas se transformare, vel universis se pariter exequare possit. Hæc facilius dicuntur, quam ex scriptura, rerum natura, vel etiam *ratione recta*, stabiliuntur. Verè datur *causalis mundi Spiritus*, qui *Deus* est, *animalis* autem, & *formalis mundi Spiritus*, nulla ratione datur, vel existere potest. Et hæc *Patriarcharum, & Sapientum Veterum* fuit *sententia*, vel*

26 PARAD. PNEUMATOL. PENTECOSTALIS
doctrina, quæ postmodum ex *hominum phantasia*, vel *ἀσθεῖα*, multis *incommodis locutionibus*, & *absurdis erroribus* est contaminata. *Moses* hunc *Spiritum* non ut *mundi*, sed ut *DEI Spiritum*, describit, dum *Spiritum Elohim* appellat, & sic eum tum à *priori*, quoad *ortum*, quod sit *Spiritus Elohim*, hoc est *Patris*, & *Filii*; tum à *formali*, quoad *statum*, quod sit *Spiritus*, nim. vere *divinus*; tum à *posteriori*, quoad *actum*, vel ipsum *mundum*, explicat, quod sit *mundum non animans*, sed *fabricans*; non *formans*, vel *informans*, sed *causans*, & *parans*; non *καὶ ἴσως*, *constituens*, sed *καὶ ἔξω* *producens*, vel *efficiens*.

23. (II) Sunt alii, quia censent, per *Spiritum Elohim* intelligendam esse *quandam naturam vivificatricem, tenuem, lucidam, ac inter caelos, & terram, mediam*, cum *Theophilo Antioch. libr. 2.* ad *Autolyicum*. Verum *Moses* hic versiculis primis nullam, præter *DEum*, aliam *naturam vivificatricem* agnovit. Hic autem non est *quædam*, sed *omnis Natura Naturans*, nullo modo *naturata*; nec est *natura tenuis*, aut *subtilis*, nec *crassa*, vel *solida*, cum sit *infinita*, nec ad *finitam tenuitatem*, nec ad *finitam soliditatem*, accommoda: nec *natura lucida*, quoad *lucem factam*, vel *creatam*, sed vere *lux increata*, neutiquam *in tempore facta*, sed *æterna*: nec *inter caelos, & terram media*, cum sit *natura summa*, vel *eminentissima, supra cælum*, & *terram posita*, prorsus *illocalis*, cum *immensa* sit *essentia*, simul *ante lucem omnem creatam* existens, quæ postea die primo *producta* legitur, ad *creatoris jussu*, *Fiat Lux. v. 3.*

24. (III) Alii locum hunc applicant de *vi quadam vitali, ac quasi seminaria, quam Deus aquis impresserit ut ad piscium, & avium productionem disponderetur*, ut insinuant, *Chrysof. Hom. III. in Genes. August. serm. 134. de temp.* Licet *Patres* potius ad *vim immensam, vereque divinam*, respiciant, & ipsum *Deum creatorem*: Sic enim scribit *Chrysof. d. l. Didicimus hic, quod omne, quod videbatur, erat abyssus aquarum, tenebris velata: & opus habebat Sapiente Opifice (nim. Spiritu Creatore) qui omnem hanc informitatem discutere, & ornatum aliquem inducere posset.*

posset. Et tenebrae, inquit, super abyssum, & Spiritus Dei superferebatur super aquam. Mibi videtur hoc significare, quod affuerit efficax quadam, & vitalis operatio aquis, & non fuerit simpliciter aqua stans, & immobilis, sed mobilis, & vitalem quandam vim habens. Nam quod immobile, omnino inutile est: quod verò moveretur, ad multa conducit. Ut igitur doceret nos beatus ille Prophetæ, aquam illam IMMENSAM habere VIM quandam vitalem, dicit: Et Spiritus Dei superferebatur super aquas, &c. Ex quibus facile colligitur, quod ad creationis Materiam per abyssum, & ad creationis causam, per vim immensam, potissimum respiciat, quæ postmodum creaturas viventes produxit. Quicquid autem sit, talis vis interna, formalis, & vitalis, vel seminaria, per Spiritum Elobim neque potest, neque debet intelligi. (1) Quia Spiritus Elobim est incubans, non formans, non intra, sed supra, aquas, adeoque non tam interna, quam externa, neque formalis, sed causalis, neque seminaria, sed anteseminaria, cum ea, quæ Die primo, secundo, &, ex parte, tertio, quoad illius Diei primum opus, in formatione maris & aride, vel terra, non fuerunt seminaria, sed postea demum vegetabilia, cum seminibus suis, producta fuerunt. (2) Dicitur Spiritus Elobim, qui Creator, & Autor est omnium, v. i. non autem Spiritus וי, aquarum, adeoque non fuit aquis impressus, ut esset aquæ Spiritus; sed, ut autor creationis, cum aquis congressus, ut ex aquis ordine cuncta creanda potenter produceret.

25. (IV.) Plurimi Spiritum Elobim per Ventum explicant: Ex Judæis AbenEsra, Onkelosus. Ex Samaritanis, Paraphrastes Pentat. Samarit. Ex Christianis Basil. Hexaem. Hom. 2. Tertullian. Anastas. Theodor. Procopius, Tostatus, &c. Verum (1) Ventus est, juxta Physicos, meteorum, non autem rerum creandarum principium: (2) hac ratione dicitur corporum naturalium consequens, non antecedens (3) pertinet ad mundum constitutum, non autem constituendum. (4) Est Ventus Spiritus non incubans, sed circumflans. (5) Non est natura, sed affectio; non causa, sed proprietas corporum naturalium. (6) Ventus tum temporis nec Or-

rum, nec proprium statum, nec aliquem usum, in aquis habere poterat: Deus autem, & natura, nihil faciunt frustra. (7) Ventus non est Spiritus Dei, sed mundi, vel rerum crearum, non Creatoris. (8) Causa Ventorum nondum extabat, quæ dicuntur alias Vapores: Vapores autem nondum Gen. I. 2. extiterunt, sed c. II. 6. demum primam introductionem invenerunt. (9) Elobim in cap. I. saltem propriè supponitur, sicut ex inductione patet: licet enim tricies, & bis, in cap. I. repetatur, semper de Deo tamen allegatur. (10) Spiritus Elobim hic active Creator est, non autem passivè creatura: Ventus autem ad creaturas referendus est.

26. (V) Alii per Spiritum Elobim Angelos intellectos malunt, qui ceperint movere cælum, coque motu, qui calorum est vita, suum in locum omnia distribuerint, prout sentit Cajetanus. Verum (1) Angeli sunt creaturæ, seu factura, Psal. CIV. 4. non autem Creatores, cum unus tantum sit Creator. (2) Angelos esse cælestium orbium motores, vetusto quidem errore statuitur, sed nec ex Scriptura, nec ex natura, nec ex ratione recta, deducitur, sicut dudum à Philosophis, & Theologis demonstratum. (3) Angeli sunt Dei tantum, & hominum invisibiles, non autem Dei, quoad creationem, cooperarii, Heb. I. 14. Psal. CIV. 4. Gen. III. 24. (4) Orbes in cælo dantur fœcæ, non Φύσες, quoad Mathematicas hypotheses, non autem quoad Physicas veræ creationis theses. (5) Cum Spiritus Elobim incubaret aquis, Cæli Firmamentum nondum erat productum, nec in mundo positum, sed die secundo demum producendum, v. 6. Negato toto, negantur partes, negato firmamento, vel ipso cælo, negantur etiam cælestes orbis. (6) Motum esse calorum vitam, gratis dicitur, cum cælum neutiquam inter creaturas viventes, sed simplices apud Physicos numeretur (7) Vitam calorum, vel motum augetorum, suum in locum omnia distribuisse, præter veritatem asseritur, cum Non-Entis nulla sit affectio, nulla pariter operatio. Tale Non-Ens autem est motus orbium cælestium, per Intelligentias, vel Angelos, ut & Vita calorum. (8) Cujus est mundi productio, ejus etiam est mundi, vel omnium creaturarum dispositio, vel distributio, Psal. CIV. 24. (9) Dispositio, vel

vel creaturarum per mundum distributio, dicitur *Axioma Creatoris*, non autem ἐνέελημα *Creaturae*, qua de causâ nullum in eo cum Creatore motum *Angeli* sibi tribuere possunt, neque nos illis tribuere debemus. (10) Nomen *Elobim* in *Historia paradisiaca* supponitur in sensu proprio: *Spiritus* igitur *Elobim* non ad *Angelorum ordines*, sed ad *divinas hypostases* referendus erit.

27. (VI.) *Alii* per *Spiritum Elobim* bonam ac propensam *Dei voluntatem* accipiunt, quâ *Deus* super *aquas*, sicut *artifex* super *opus* perficiendum, ferebatur, ut *Augustin. de Genes. ad lit. c. 5. & Glossa Interlin.* insinuant. Sed hoc itidem (1) suo modo dextrè dicitur, juxta substratam materiam, explicandum. *Voluntas* *Dei* creantis neutiquam creationi defuit, sed constanter creandis adfuit: at per *Spiritum Elobim* designata nullatenus fuit. (2) Licet *Dei voluntas* simpliciter nihil aliud sit, quam ipse *Deus*, tamen ea non adeo convenienter per vocem *Elobim* formaliter, & verbaliter, designatur. (3) *Voluntas* non tam immediate, quam mediate, per ἐνέεγεια dicitur operari, consequenter incubare: *Voluntatis* est velle, sed *activitatis* est incubare. (4) *Artifex* fertur bona, propensaque sua *voluntate* super *opus* perficiendum, non *incubatione*, sed *intentione*, *attentione*, *mediorum destinatione*, *directione*, &c. (5) *Spiritus Elobim* ad *personas* respicit, *Voluntas* autem ad *essentiam à priori*, & ad *efficientiam, à posteriori*: *Voluntas*, enim nec est, nec esse potest *persona*, neque tam *personalis*, quam *causalis operatio*: hic autem ad *personalem operationem* respectus habetur. (6) Vox טַרְפּוּם, ut supra notatum, propriè dicitur *avium incubantium, moticantium*, & ad *productionem novam agitantium*; quod certe *voluntati* minime congruum, *Spiritus Sancto* tamen, cui tribuitur alias Πνεῦμα, Πνεῦμα, &c. tanquam *symbolica columba*, *Matt. III. 16.* maxime consentaneum.

28. (VII.) *Alii* per *Spiritum Elobim* *aternam Dei sapientiam*, i.e. *Christum* designatum volunt, ut *Sicubius* in κοσμοποιία. Verum (1) *Christus* non est *historia Creationis*, sed *restauratio- nis*, non *Gen. I. 2.* sed *III. 15.* (2) Λόγος quidè est *aterna Dei*

sapientia, *Prov. II. 1. seqq.* sed neutiquam hic per *Spiritum* exprimitur. (3) *Λόγος*, quidem adest *creationi*, nec ullaratione dicitur ab *opere creationis* abesse, sed huic *Elohim* *Titulo* neutiquam deprehenditur subesse. (4) *Sapientia Dei aeterna* *καὶ ἔσω*, dicitur in *Deo*, & in *divinis decretis*, cuncta disponere, sed *incubatio* non est in *Deo*, neque notat *Decretum*, sed *externum actum*, & refertur potissimum ad *aquas*, vel ad *creaturas*. (5) Hæc *incubatio* non tam ad *Filium*, personam secundam, quam ad *Spiritum Sanctum*, personam tertiam Deitatis refertur. (6.) *Spiritus* h. l. non dicitur *Filius*, seu *Verbum*, sed potius *Spiritus Elohim*, *Patris* Dicentis, & *Filii*, Verbi; neutiquam igitur hic *Spiritus* ipse dicendus est *Filius*.

29. Verum nos, missis aliorum opinionibus, eligimus *propriam, proximam, intimam, grammaticam, vereq;*, proprieque per verba textus expressam, *sententiam*, quæ citra dubium est *optima*, nim. per *Spiritum Elohim*, non alium ullum, præter *Spiritum Sanctum*, tertiam personam Deitatis, intelligendum. Sæpius id à nobis alibi confirmatum, hac vice saltem indubitata textus fundamenta pressius urgemus. (1) *Primam initii temporalis circumstantiam*: Dicitur enim, v. 1, *In principio*; quod *principium* non est *essentia Deitatis*, sicut *DEUS*, alias, & *essentialiter*, & *causaliter*, est *Principium*: hic autem *DEUS* ut *operationis*, & *creationis causa*, non ut *durationis* cujusdam *circumstantia* notatur, & non per *תְּחִלָּתוֹ*, sed per *Elohim*, designatur, & allegatur. (2.) *Immediatam Primæ Creationis Causam*, quæ dicitur *Elohim*. Nam hæc *Creatio* citra dubium fuit *prima*, quam non antecessit *alia*: Solus igitur *Deus*, vel *Elohim*, primæ *Creationis Autor* extitit, dum ante primam *Creationem* nullum aliud *Ens*, præter *DEUM*, fuit. Et hæc *Creatio* dicitur *immediata* *Dei* *Creantis operatio*, quia nullum *Ens* aliud in prima *Creatione* suam *existentiam* habuit, sed omne *Creatum Ens*, primum per *creationem* *immediatam*, productum est: Ergo per hunc *Spiritum* nullus *Spiritus* creatus, nec ullum *Ens Creatum* intelligi potest. Sed solus *Dei*, vel *Elohim* *Spiritus* *Creator* hic intelligi potest, atq; debet.

debet. (3) *Primam Causa Creantis Energiam*, quia dicitur *Elohim* Creatio, quod Nomen sub respectu Creatoris, cum *Patre, Filioq.*, juxta præsentem *primam* hanc *Thesim*, & *perpetuam* *Scriptura* totius *Ecclēsiæ*, solius *Sancti Spiritus*, tertiæ personæ Divinitatis est, utpote qui cum *Patre Jehova*, simulq; cum *Verbo Creante*, verus *Creator*, & quidem solus dicitur, *Psal. XXXIII. 6.* & sic etiam primum hoc Opus Creationis ad solum *Spiritum Sanctum*, præter *Patrem, & Filium*, refertur. (4) *Primam Creationis Officinam*, quæ dicitur *Calum, & Terra*, h. e. tota rerum *Universitas*, totusq; *mundus*: & non alius *Spiritus*, præter *Spiritum Sanctum*, cum *Patre Filioq.*, replet orbem terrarum, *Sap. I. 7.* & à *summo ad imum*, vel à *cælo ad infernum*, à *longo, & lato*, vel quoad *terram, & mare*, cuncta complet, teste *Davide, Psal. CXXXIX. 7.* *Quo ibo à Spiritu tuo*, &c: sicut igitur nunc adhuc *infinite* sua *Spiritus Sanctus* omnibus in mundo locis præsens est, ita pariter ab *initio toti masse* productæ per *infinite* suam præsentia sua totam *universitatem movit, fovit, & singula creaturarum genera* potenter ad suos ordines *prodire*, mundumque totum *constituere*, jussit. (5) *Primam Spiritus Nomenclaturam*, quia h. l. primum *Spiritus* nomen adhibetur, & dubio procul in *principali suo significato*, nobis exhibetur, quo *Spiritum Principem, DEum, & Creationis Autorem*, significat, qui *Spiritus Sanctus* est. Et notatu dignum, quod nec in *historia Paradisiaca*, nec in *historia Antediluviana*, vox *רוח* aliter, quam de *Spiritu Sancto*, legatur, & quidem nec *rarius*, nec *frequentius*, quam *tribus vicibus*, introducatur, si modo saltem *ultimum* locum *quartum*, excipiamus, *Gen. VI. 17.* ubi jam *pœna peccatoribus antediluvianis, & aliis viventibus* dicitur: *Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua, רוח חיים, Spiritus vita est subter calum, & universa, quæ in terra sunt consumentur*: sed & hic *Epitheton illustre* deprehenditur, dum *Spiritus vita*, dicitur, quæ *Vita citra dubium optimum est bonum*, in quovis vivente, dum, *vita præsentem, bona reliqua cuncta* locum invenire possunt:

possunt : sed, vita deficiente, statim omnia vitæ bona deficiunt.
 (6) *Primam Spiritus hujus ῥοίαν*, quæ partim est *absoluta*, quòd sit *Spiritus* ; partim *relativa*, quòd sit *DEI Spiritus* : quoad *absolutam ῥοίαν* vere dicitur *divina Essentia*, qua ratione non potest *non existere*, cum Deus *æterna sit existentia*, multo magis statim ab initio durationis temporalis suam existentiam habuit ; quoad *relativam*, ut ita loquamur, *ῥοίαν*, vere dicitur *divina subsistentia*, quæ pariter est *divine tum essentia, tum existentia* ; cum *subsistens* necessario veram includat, vel præsupponat *essentiam*, cum sit *concretum* ; & *existentiam*, cum omnis *subsistentia* notet ultimam rationem *essentia*, nec possit actu *non existere*. Hæc itidem invicte *Sancti Spiritus Existentiam firmam reddunt*. (7) *Veram Spiritus ἐννοίαν*, quia Spiritus hic in Deo verè dicitur *in esse*, non equidem per *ἐννοίαν essentialem*, quatenus partes sunt in toto ; nec quoad *ἐννοίαν mentalem*, quia Spiritus hic non est conceptus divinæ mentis ; nec quoad *ἐννοίαν accidentalem*, quatenus accidentia sunt in subiecto ; nec quoad *ἐννοίαν transcendentalem, & affectionalem*, sicut proprietates Entis eminentes in suo subiecto, vel Ente, requiruntur, & verissime de eodem, tanquam subiecto, dicuntur : sed quoad *ἐννοίαν personalem*, sicut *Pater est in Filio*, vice versa, *Filius in Patre*, quemadmodum ipse Christus inquit : Joh. XIV. 6. *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovisti me, Philippe ; qui videt me, videt Patrem ; quomodo tu dicis : Ostende nobis Patrem : non credis, quia Ego in Patre : & Pater in me est* : Sic etiam Spiritus Sanctus est *in Patre, & in Filio*, sicque *veram, propriam, realissimam Existentiam Spiritui Sancto* tribuere necessum habemus. (8) *Veram oppositionis ἀναλογία*, cum *oppositorum* inter alia sit *eadem ratio* ; sicut unum *oppositorum ex sit*, ita pariter *alterum existere* necessum habet, cum *opposita*, juxta se posita, magis *elucescant*, magis *innotescant* : *Moses autem opposita varia statim in primis versiculis intendit, & attendit* : qualia sunt, *Creator, & Creatura, principium, & principiatum, cælum, & terra*, tanquam *effectus, & Autor cæli, & terræ*, tanquam *efficiens*,

תהו ובהו, & Spiritus Elohim, Confusio & Ordo, solitudo & plenitudo, tenebra & lux, subiectum & objectum, abyssus & Dominus, ac penetrans Dominus &c. sicut ergo patet, quod opposita reliqua suam existentiam habuerint, ita pariter idem de Spiritu Elohim non est negandum.

30. Accedimus nunc ad *Existentiã relativã*, qua Spiritus Elohim non simpliciter existit, sed in, & cum alio personaliter existit, qua ratione Spiritus Elohim personaliter in Trinitate dicitur existere, quod non tantum ex aliis locis Biblicis est manifestum, quando dicitur. (1) à Deo, dum à Patre, Filioque procedere dicitur, Job. XV. 26. non causaliter, sed personaliter. (2) ex Deo, 1. Cor. II. 12. ubi disertis verbis dicitur Spiritus, quia ex Deo, non per materialem, & constitutum statum, sed per immaterialem, & singularem spirationis statum. (3) in Deo, quia sicut Pater est in Filio, & Filius in Patre, sic etiam Spiritus Sanctus est in Patre, & Filio, Joh XIV. 6. (4) cum Deo, quia Spiritus Dei semper est cum Patre, & Filio: sed etiam ex presenti loco, dum Spiritus Elohim appellatur, & in Deitate, tanquam vera persona, vel hyftasis distincta consideratur.

31. Hinc adversus Socinianos observamus, quod Spiritus in Deo fit, aut existat (1) non ut Genus in sua specie, sicut scribit Crell. in tract. de Spiritu S. p. 98. Id potest dubitari, utrum Spiritus Sanctus, hoc modo sumtus, unus sit genere tantum, an verò etiam specie, ut in scholis loquuntur, infima, s. specialissima. Accurate rem estimantibus prius potius statuendum esse videtur. Nam omnibus illis afflatibus commune est, esse divinam virtutem, seu efficaciam, &c. Verum h. l. Spiritum Moses appellat, seu Flatum, non autem afflatum: neque tanquam genus introducit, quod est universale, sed tanquam Spiritum incubantem, vere singularem, & individualem.

32. (2) Nec est in Deo, tanquam species, prout idem narrat Crell. l. d. p. 97. scribens: Si Spiritum Sanctum posteriori modo consideres, ita nim. ut hoc nomen significet quemvis afflatum singularem, & ut ita dicam, haustum de cœlesti flumine: jam quivis videre potest, plura esse ejus individua: Ita ut Spiritus S. sit genus, vel species quaedam, individua sub se continens. Plura ejus esse individua, nemo,

E

qui mo.

qui modo rationem consulere velit, negare potest. Verum Spiritus Sanctus est revelationis mysterium, non rationis placitum. Præterea confunditur *Flatus DEI*, cum *afflatu* hominum, *sensu proprio* cum *metonymico*, &c.

33. (3) Nec est nudus *afflatus Dei*, quod vult *Schlichtingius*, c. Meisn. de Trinit. præfat. *Spiritus Sancti nomine non aliam rem ullam, quam caelestem, divinumq; afflatum, Dei Patris munere per Filium Jesum Christum credentibus concessum, ac inspiratum, significari debere, dicimus.* Verum *Spiritus Sanctus*, & *Spiritus Elobim* synonyma sunt. Falsum igitur, quod per *Spiritum Sanctum*, vel *Dei*, nihil aliud significari debeat, quam *afflatus, Dei Patris munere, per Filium Jesum Christum concessus*. Hic in *historia Creationis* versatur, & vere *Spiritus Sanctus*, tanquam *Spiritus Dei*, vel *Elobim*, extitit, sed ibi nullus fuit homo, nullus fidelis; nec *Jesus Christus* in statu creationis locum habuit.

34. (4) Nec est nuda *virtus Dei*, sicut scribit *Crell. I. de U. D. P. sect. 3. c. I. p. 397.* *Spiritus Sanctus Dei virtus est, seu efficacia, ea nim. qua à Deo procedit, atque in homines manans, eos sanctificat, & consecrat, & varios, ac admirabiles in iis effectus parit, quam afflatum divinum appellare solent.* Verum *Spiritus Sanctus* quidem *Virtus Dei* dicitur, *Luc. XXIV. 49. Act. I. 7.* sed non *virtus extra promanans*, sed *immanens*; non *accidentalis*, sed *essentialis*, non per *nudam efficaciam*, sed per *veram subsistentiam*, adeoque *virtus vere personalis* dicitur. Deinde procedit *Spiritus Sanctus* non per modum *nude virtutis*, sed *personæ subsistentis*, ut ex *promissis, Job. XIV. 26. XV. 26. XVI. 7. seqq.* & *ipsis apparitionum exemplis, certum, Matth. III. 16. Act. II. 2. 3.* sicut apud *Mosen*, tanquam *suppositum, aquis incubans, & creans*, vere personaliter describitur, eiq; postea, v. 3. seq. vera *visio personalis* tribuitur.

35. (5) Nec est *vera quadam qualitas in Deo*, prout idem *Crell. lib. de Deo, & Att. Div. c. 22. p. 105.* scribit: *Est igitur Spiritus ille QUALITAS quadam, inter potentiam illam (Dei,) & effectus manifestiores, qui vel internis, vel externis hominum sensibus percipiuntur, intermedia.* Et tract. de Spiritu S. p. 79. dicit; quod *sit mera qualitas à Deo profecta, & ad res perficiendas apta.*

Verum

Verum Spiritus Sanctus non à DEO proficiscitur, sed in Deo manere, Deiq; Spiritus semper existere dicitur. Deinde qualitas nullatenus est, cum sit *subsistens*: porro non est vel *potentia*, vel *qualitas*, inter Dei *potentiam*, & *effectus spirituales intermedia*, cum sit ipsa Dei, ceu *verus Deus*, *essentia*, *realisq;* pariter in Deo *subsistentia*. Deniq; Spiritus Sanctus operatur non à Deo *trans-eundo*, sed potius in Deo *subsistendo*; nec agit *finite*, sed *infinite*, multo minus per modum *qualitatis* mediæ causaliter operatur, cum sit *causa creans*, vereq; *prima*, sicut ex Historia creationis apertum.

36. (6) Nec est Dei quoddam *Accidens*, aut quod in Deo, vel à Deo sit, aut per modum *accidentis* fiat, sicut itidem Sociniani fingunt, apud Crellium de Spiritu sancto p. 74. ubi sibi quandam objectionem movet: *Formam quandam, ac speciem aliquam visibilem induere, non est qualitatis mere, sed substantia alicujus, per se subsistentis; quandoquidem Accidens, ut Philosophi docent, aliud accidens sustinere non potest; presertim proprie, quemadmodum fieret; si qualitas forma visibili vestiretur.* His verbis Spiritum S. vocat (1) *meram qualitatem*, (2) *accidens aliquod*; (3) *accidens Philosophicum*; (4) *expers omnis subsistentia*; (5) *quod non sit substantia*; (6) *quod proprie non vestiatur forma visibili, &c.* Verum (a) in Deum nullum cadit *accidens*; Spiritus sanctus autem est in Deo. (b) Spiritus Domini dicitur h. l. *subsistere à Domino, in Domino, cum Domino, coram Domino, &c* (c) dicitur *incubare*, per modum *subsistentis*, (d) *videre*, per modum *subsistentis*, v. 3. seqq. &c.

37. (7) Neque Spiritus sanctus est res quædam *creata*, sicut etiam Sociniani fingunt, Spiritum sanctum esse *rem* quandam *creatam*, si non *simpliciter*, tamen *alio modo*, prout scribit Socin. contr. Wujeck. p. 187. Spiritus est *virtus, & efficacia Dei, in terris mirabilia efficiens, ad confirmandum, quod Jesus sit Christus. Que Dei virtus, & efficacia, certe non est simpliciter res creata.* Non negat hic, Spiritum sanctum esse *creaturam*, sed tantum *dubitatur, & sceptice notatur, quod non sit simpliciter creatura*, sicut etiam alibi satis *sceptice* de hac materia disputat, nim. p. 460. seqq. cum primis quia disertis verbis affirmat, si Spiritus sanctus *persona sit, eum esse personam creatam* Sic enim scribit: Ex
altera

altera parte nihil vetat, quo minus Deus cum re creata ea, que alioqui ipsius DEI sunt propria, communicare dignatus fuerit. Hic enim nihil, cui tota natura reclamatur, nihil inquam, quod contradictionem implicet, invenies. Ubi id tamen singulariter, non sine causa, animadvertendum est, nusquam, nisi fallor, in sanctis literis Spiritui sancto diserte tribui, quod quicquam creet, sed Dei Spiritu, seu per Dei Spiritum, alicubi fortasse creatas res dici, tanquam videl. Instrumento, seu per instrumentum. Nam locus Job. 33. 4. ab Adversariis citatus, non creavit, sed fecit, habet. Adde, quod non, ubicunque Dei Spiritus nominatur, ibi Spiritus sanctus est intelligendus, ut ex iis constare potest, que supra disputavimus. Quod si una cum Adversariis dicas, fieri non posse, ut Spiritus sanctus sit creatus, quia Christus sit minor, ut res creata est, aliqua alia re creata, cum, quatenus CHRISTUS res creata est, SPIRITU sancto minor esse deprehendatur, &c. His satis clarè Socinus asserit, Spiritum sanctum esse creaturam, tum ex creature & Dei oppositione, (per creatam rem autem Spiritum sanctum intelligit, & ad eum respicit,) tum ex utriusque conjunctione, tum ex Dei & creaturarum communicatione, tum ex contradictionis negatione, tum ex Creatoris de Spiritu sancto remotione (jam si Creator non est, neque quicquam creat, aut unquam creavit, necessario debet esse creatura:) tum ex dictorum Biblicorum, pro Creatore Spiritu sancto, refutatione, tum ex manifesta assertionem, veraque defensione, sicut ex seqq. evidenter & abundanter apparet, dum ita scibit: Nihil incommodi est in preceptione illa: Baptizantes in Nomine (seu potius in Nomen) Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: etiamsi Pater solus sit Creator, Filius autem, & Spiritus sanctus creatura. Verum Spiritum sanctum non esse rem creatam, vel creaturam, & Moses, & reliqua Scriptura, documentis innumeris ostendunt. (1) Quia Spiritus sanctus est Elobim cum Patre, & Filio, Gen. I. 1. Elobim autem in principio temporis primo, jam fuit ante creaturam omnem, ejusque durationem, & propterea diserte vocatur Spiritus aternus, Hebr. IX. 14. adeoque non potest esse creatura, que sua natura dicitur finita durationis, vel temporalis. Nam qui fuit ante

crea-

creaturam omnem: & ipsam *creationem*, ille nec est *creatura*, nec inter *creaturis*: *Spiritus sanctus*, ut *Elohim creans*, v. 1. fuit ante *creaturam omnem*; Ergo. (2) *quia Spiritus est creans active*, non igitur est *creatus passive*, cum *omnis creatura sit passive res creata*: jam autem de *tribus Elohim*, & sic etiam de *Spiritu Elohim*, dicitur: *In Principio CREAVIT Elohim Spiritus*. (3) *Quia* tum temporis nulla fuit *distincta creatura*, nim. *in principio*, vel momento primo *creationis*: licet enim mentio fiat *caeli*, & *terra*, tamen quatenus sunt *distincta creatura* *cælum*, & *terra*, sic *firmamentum* die *secundo*, *terra* verò die demum *tercio*, suam *distinctam formationem* acceperunt. *Spiritus sanctus* autem fuit ante cunctas *distinctas creaturas*. (4) *Quia* tum temporis omnes *creatura distincta* latuerunt in *ררו וברו* hoc est in *rudi*, vel *indigesta materia*, quæ *chaos* dicitur, & est *subjectum*, vel *objectum creationis*: *Spiritus Elohim* autem, ut *agens*, & *creans*, huic *materia* contradistinguitur, & opponitur: Ergo *Spiritus*, secundum *Mosen*, *Creator* est, non *Creatura*. (5) *Quia Spiritus* hic peculiariter dicitur *Spiritus Elohim*, *spirantis Patris*, & *spirantis Filii*: sic igitur cum *Patre*, *Filioque* *Creator* est, non *Creatura*. (6) *Quia* *modus incubationis* idem evincit, cum sit *infinite motionis*, *operationis*, *permeationis*, *causationis*, &c. quæ cum aliis sunt *infinite virtutis*, & *causalitatis*, adeoque non rem *creatam*, sed *increatam*, arguunt, & vere *Creatorem Spiritum* ostendunt. (7) *Quia Spiritus Sanctus*, tanquam *Elohim videns*, in opere *creationis* semper cum *Elohim Dicente*, & *Elohim Faciente*, conjungitur, & cum iis *unus Creator*, *una causa creationis* dicitur.

38. Manet igitur, ut alia taceamus, *Spiritum sanctum personaliter esse in Deo*, vel in *SS. Trinitate* per *hypostaseos* modum existere, quod prolixè posset ex *Mose* demonstrari, quoad *paradisiacam historiam*: hac vice saltem capita probationis adducemus, cum illa diducere non sit concessum, probamus igitur, tum quod ut *persona subsistat*, (1) *quia Spiritus sanctus est Elohim*: *Elohim* autem est nomen *personale*, sicut alibi probatum. (2) *quia Spiritus sanctus est Elohim cum Patre*, & *Filio* v. 1. vid. *unus Elohim in Trino*, (3) *quia Spiritus sanctus est Patris Elohim*, & *Filii Elohim*, v. 2. cum sit, quoad *originem*, non *unius*, nec *trium*, sed *duorum Elohim*: sicut igitur *Pater* est *persona*, *Filius*

etiam est persona, sic etiam *Spiritus sanctus* est persona (4) quia *Spiritus sanctus* est cum *Patre, Filioque, persona* creans, non simpliciter *Jehova* Creator, sed *Elobim* creator, v. 1. *Elobim Spiritus*, vel *Spiritus creator*. (5) Quia *Spiritus sanctus* est omnipotentia præditus; siquidem non esset *Creator*, nisi foret *omnipotens*: *Omnipotens* autem nec est, nec esse potest *accidens*, sed revera *subsistens*, h. e. *persona*. (6) Quia *Spiritus sanctus* est *omnisapicns*, cum *ordinatissime, distinctissime, pulcherrime* creaturas, & fecerit, & disposuerit, quod non est *accidentis*, sed *subsistentis*. (7) Quia *Spiritus sanctus*, ut *infinita persona* creans, *subsistendo* potenter, & efficaciter *incubuit* aquis, v. 2. (8) Quia vere *persona videns, lustrans, probans, & approbans*, atque *terminans* *Persona* dicitur, v. 3. seqq. (9) quia dicitur *Elobim*, vel *persona sanctificans*, c. II. 3. (10) quia vere dicitur *persona*, lapsos homines, & gravissimos peccatores *reparans, regenerans, illuminans, & simul omnia beneficia salutis* donans, ut applicans *persona*, Gen. III. 8. tanquam *Spiritus Dei*, vel *lucis*.

39. Tum quod ut *persona* subsistat in *Trinitate*. (1) Quia *Spiritus Sanctus* non solus est *Elobim*, sed *unus* est *Elobim* in *Elobim Trino*, qui *trinus Elobim* Gen. I. i. supponitur ut *Creator*, secundum præsentem *Thefin*, & per omnem scripturam sequentem *Ecthesin*. (2) Quia *trinus* hic *Elobim* est *Jehova Elobim*, c. II. 4. seqq. adeoq; *Trinus Elobim* in *Deitate*, vel in *Unitate*, vel in *Essentie Unitate*, dum hæc est *fides Catholica* tum *Protoplastorum*, tum *omnium aliorum posterorum*, in primis *credentium*, ut *unum DEum* in *Trinitate*, & *Trinitatem* in *Unitate* veneremur, ut mentem *Fidelium* exponit S. *Athanasius* in *synbolo*. (3) Quia *Spiritus* non *unius*, non *trium*, non *quatuor*, &c. sed *duorum Elobim*, ita quidem, ut cum duobus sit *Elobim*, sit & maneat *unus Jehova*. (4) Quia dicitur *Spiritus*, non quoad *spirationem ad extra*, sed quoad *spirationem ad intra*, qua ratione procedit à *Spirantibus Elobim*, & existit, atque *subsistit*, in duobus *Spirantibus Elobim*, (5) Quia cum ipsis *duobus Spirantibus Elobim* semper *operatur*, operando *creat*, creando *creaturam*, instar operis, *manifestat*, ipsemet *videndo lustrat*, lustrando *convenienter ordinat*, & ad locum certum in *Universitate destinat*. (6) Quia cum *duobus Spi-*
rant.

rantibus Elobim intime sapit, intime creaturas novit, intime creaturas cupit, intime creaturas decernit &c. adeoque sic in duobus *Elobim* intime subsistit. (7) *Quia* cum duobus *Elobim* *Spirantibus* est unus *Autor Creationis*, v. 1. una *causa*, *principium* unum, adeoque cum illis *subsistit* in una *quidditate*, in *vera Trinitate*. (8) *Quia* suum in *Trinitate* tam possidet, quam retinet *hypostaticum* ordinem, tum *ordinem personalis originis*, dum à duobus reliquis spiratur. tum *ordinem personalis, & propriae conditionis*, dum à duobus *Spirantibus* procedit, & tanquam persona peculiaris in *Deitate* subsistit, tum *ordinem personalis operationis*, sicut *Elobim Pater* primum dicit *Creaturas*, & *Filius*, tanquam *Patriis Dictum*, & *Verbum*, facit, & producit *Creaturas*: ita *Spiritus Elobim* movet, movendo fovet, fovendo videt, videndo censeat, censendo finit *creaturas*.^o (9) *Quia* tum in *sextiduo*, tum semper est *Autore Creationis*, & in *opere creationis*, hic *Spiritus*, & quod *Pater Elobim* dicit, *Filius Elobim* facit, illud *Spiritus Elobim* cernit. (10) *Quia* primam hanc *Spiritus* in *Deitate* *subsistentis* *manifestationem* tota *scriptura*, tum V. tum N. T. non aliter explicat, sed dictis clarissimis, certissimis, & efficacissimis confirmat.

40. Hæc etiam de *relata* *sufficiant* *Sanctis* *Spiritus* *Existentiæ*, prolixam pariter de *Comparata* *Spiritus* *Existentiæ*, juxta *Mosis* ductum, commentationem instituere possemus, cum magnæ *divitiæ sapientiarum* apud *Mosen*, & pateant, & lateant, non tantum in aliis, sed etiam in hac præsentis causa, sicut sapius *Chrysostomus*, & alii *Patres* observarunt; sed uberiorem diductionem præfens institutum non admittit. *Generalia* proinde tantum allegabimus, & ex *singulis Capitibus paradisiacis* saltem unum *personalis* *Existentiæ* *documentum* allegabimus, & paucis indicabimus, ut, quibus volupe videtur esse, prolixiores meditationes de his adornare possint.


41. Ex *Capite primo* *Spiritus Sancti* *Comparatam* *Existentiæ* manifestat *Creationis* *artificium*. vel *opificium*, quoad *mundum*. Nam cum *Patre*, *Filiis*, *Spiritus Sancto* tribuitur. (1) *Succinctus* *Creationis* *ingressus*, quia dicitur: *In Principio creavit Elobim cælum, & terram*, nim. non tantum *Elobim Pater*, neque tantum *Elobim Filius*, sed etiam *Elobim Spiritus Sanctus*: sicut mox ex *repetitione*, vel *distributione*, v. 2. tum explicatur, tum demon-


stra-


stratur, dum hi *tres Elobim*, versiculi *primi*, versiculo *secundo* sic explicantur, ordinantur, & ad *Trinitatem* computantur, ut *duo* dicantur *Spirantes Elobim*, quorum *tertius* est *Spiritus*, & hic *tertius* duorum *Spirantium* sit unus *hypostaticus Spiritus*, ita tamen, ut hi *tres* sint, & maneat *unus Creator*, & in omnibus aliis *unum*, 1. *Job. V. 7.* (2) *Totus Creationis Processus*, quoad *integrum sextiduum*, ubi *sex vicibus* æque, sicut *Elobim Dicens*, Pater Creator, & *Elobim Faciens*, Filius Creator, ita quoque *Videns Elobim Spiritus Sanctus*, ut *Existens*, & *Creans* introducit. (3) *Emphaticus creationis exitus*, dum v. 31. peculiariter hic *Elobim*, ut *Creationis finitor*, & *consummator*, ac *Obfignator* introducit: *Vidit Elobim*, scil. post *Elobim Dicentem*, Patrem, & post *Elobim Facientem*, Filium, *cuncta, quæ fecerat*, & *ecce valde bona erant*, quod *הנה*, vel *ECCE*, comunitur *Spiritus Sancti NB.* vel *character* appellatur. Hæc omnia cum aliis *Existentiam Spiritus* confirmant.

42. Ex *Capite secundo Spiritus Sancti comparatam Existentiam* demonstrat *Creationis Officina*, imprimis quoad *Microcosmum*, & ejus *Officium*, genuinum *Sanctificationis Nominis Divini Cultum*. Nam ibi, quoad *Creationis anacephaleosin*, producit non tantum *Elobim Creans*, & *Creationem consummans*, Pater, v. 1. 2. neque tantum *Patris λόγος*, *Benedicens*, vel omnis *Benedictionis Orator*, *Promulgator*, & *Collator*, Filius, v. 3. sed in eodem statim jungitur *Elobim tertius Sanctificans*, *Spiritus Sanctus*, qui perpetuus circa divinum, vereque religiosum *cultum*, est *ἐγὼ δὲ κτλ*, sicut *tota scriptura*, rei que *natura*, cum aliis luculenter edocent. Hic manifestam, satisque certam rursus deprehendimus *Spiritus Existentiam*.


43. Ex *Capite Tertio, comparatam Spiritus Existentiam* confirmat *Restaurations Beneficium*, quoad *Microcosmum restitutum*, quando *רוח הוי*, *Spiritus novi, singularis*, nunquam exhibiti, nunquam *visi*, nunquam *auditi*, vere *supernaturalis Diei*, nim. *Diei Gratia*, ratione *Patris*, *Diei Seminis*, & *Messia*, ratione *Filii*, & *Diei Pentecostalis*, vel *salutaris manifestationis, operationis, applicationis, salvationis & glorificationis*, ratione *Spiritus Sancti*, tanquam *Spiritus Gratia*, *Zach. XII. 10.* *Spiritus Messia*, *Esai. XI. 2.* *LXI. 1.* *Pentecostalis energie*, *Act. II. 2.* seqq. producit. Sed quis *Meditationibus* hisce *Pentecostalibus augustis* chartas nimis angustas extendere sufficienter auderet?











Sed cum religione Iudaica res prorsus aliter habet. Quae sub Patriarchis, eorumque numerosa prole egit radivnumquam calamitates propterea a Deo populo Iudaeorae, ut Profelytorum maior numerus Iudaismo adiace-nde neutiquam tam diuturna Christianorum vexatio quidem Iudaeorum. Illa per tria tantummodo secula Christi gregem adflixit; deinde ipsorum fides, cuius mine ac splendore suo totum terrarum collustravit in haec contra calamitas non tria secula sed per grande sui spatium iam perstitit, neque vlla spes mitioris fati

§. VII.

inimam impono huic qualicunque scriptioni, summum efficacissimis exorans precibus, ut excoecatam Iudaeorum caecitate Iesu Christo per spiritum sanctum ad lucem veritatis pervenire, pariete intergerino per sospitatore nostrum sub-udaei, suus olim populus, tum nos insititii huius oleano spiritu, vna mente, vnoque ore, ipsum colamus, celebremus. Deo trino sit laus, honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Epilogus et preces pro Iudaeis ad Deum fusae.

CLA-

NOTIVS quidam conscripsit librum de Iudaeo Christicida, qui peccante et vapulante; allegatum hoc scriptum in GII L' Historie des Juifs T. IV. c. l. §. XI. p. 926. edit. Paris. inveni.

